
IOSEPHI CASTALIONIS I. C. OBSERUATIONUM IN. CRITICOS. DECAS PRIMA

Giuseppe Castiglione


8
3 e
50


6
29 L
8

Jos. Castalion. observat.

H

IV

IOSEPHI CASTALIONIS

I. C.

OBSERVATIONVM IN. CRITICOS.

Decas Prima.






Superiorum Permissu.

ROMAE,


Apud Guillelmum Facciottum. MDCV.



ILLVSTRISSIMO

IOANNI BAPTISTAE VICTORIO

S. D. N. PAVLI QVINCTI PONTIFICIS MAXIMI SORORIS FILIO



Ioſephus Caſtalio I. V. D. Salutem.



NTONIVM Victorium ſingulari pietate, & doctrina Virum Patruum Tuum, qui in vtraq. Signatura cauſis referendis ſumma cum prudentiae, & fidei laude conſenuit, vnum ex omni nobilitate Romana mihi a iuuentute colendum delegi, quod vere Romanis moribus praeditus litteras, litterarumq. ſtudioſos magnifaceret, meque, qua eſt humanitate, non leuiter eo nomine diligeret; Quamobrē, cum quidquid officij a grato Cliente in optimum patronum, patroniq. agnatos proficiſci ſoleret, id omne Patruo Tuo, Tibiq. praeſtare ipſe debeam, obſeruantiae in Te meae argumentum non obſcurum Obſeruationum mearum librum Tuo nomini inſcriptum prodire iuſſi. Nam cum in Vrbe, & intra Italiaę noſtrae fines, tum apud Tranſalpinos, exteraſq. nationes, vbi haec ſtudia ſummopere coluntur, teſtis erit, vt ſpero, me nemini eorū, qui Te maxime colūt, cōcedere. Neq. ſane ſcripta mea ab ingenuarū artiū ſtudijs, quibus ab ineunte aetate vehementer operam dediſti, aliena omnino ſunt.


Quamquam maiora profecto generis Tui amplitudo,& mira de summo dignitatis Tuae gradu expectatio flagitare videatur. Quis enim Horatij Victorij Viri spectatissimi,& Margaritae Burghesiae feminae praestantissimae Tuorum Parentum,quorum memoriam Ciuitas Romana pie seruat,splendorem ignoret? Paulum vero Quinctum Pontificem Maximum Auunculũ Tuum felicioris saeculi Conditorem,Iustitiae,Religionisq. gloria inclytum Orbis terrarum venerabundus agnoscit. Te autẽ praeclara virtutis, & continentia indoles eum fore pollicetur qui grauitate, innocentiae, & santimonia S. R. E. adiumento, atq. ornamẽto esse possis. Verũ quã me a suscepto cõsilio ista deterrerent,tam humanitas vobis omnibus insita, & Antonij Quaerengi Viri inter Principalis Aulae decora sapientissimi, amplitudinisq. vestrae studiosissimi Oratio accurata,vt, quod in animo haberem, sine vlla haesitatione perficerem, est adhortata. Te igitur oro,vt lucubrationes meas,quas Tibi libens dedico,libenti animo accipias,meq. in Tuorum numero esse permittas. Vale. Kalendis Nouembris CIↃ IↃCV.

LECTORI.

CENTVM capita obseruationum incensus bonarum litterarum amore confeci, editurus vniuersa in eorum gratiam, qui eodem studio tenentur: Ex ijs decem capita, quae maxime ad Criticam pertinere viderentur, delegi, atq; imprimenda statim curaui. Reliqua deinceps praelo subijcientur. Interim in his periculum iudicij mei facies, vt quid a me in eo genere expectes, facile intelligas. Equidem omnes Ingenij, & iudicij mei neruos intendi, nequid detrimenti a Criticis res litteraria capiat. Eorum enim audaciae, ne dicam temeritati, nisi quamprimum obuiam eatur, ingens iam periculum sit, ne latinae linguae, qua in recta scribendi ratione, qua in emendandis, explicandisq. veterum auctorum libris, magna pernicies afferatur. Si quidem Viri quidam eruditissimi ingenio nimium indulgentes suo, ob idq. interdum iudicio destituti non nulla comminiscuntur, quæ prorsus falsa sunt, quodq. grauius est, summis etiam ingeniis eadem persuadent. Itaque maturandum esse duxi, ne cuiuspiam auctoritate præiudicium, ea de re fiat, actumq. omnino sit. Illud autem persuadeas tibi velim, me non detrahendi studio haec scripsisse, licet aliquot magnos viros perstrinxerim. Non enim eos ad inuidiam nominaui; sed ne tanta nomina quemquam in deteriorem sententiam pertraherent. Genus vero dicendi prolixius, acriusq. fortasse, quam huiusmodi scriptio ferre videatur, necessario mihi vsurpandum fuit ad mea confirmanda, & aliena refellenda. Est enim de rebus iam paene praeiudicatis mihi suscepta aduersus doctissimos viros disceptatio. Si quis autē me hoc nomine accuset, idem Carolum Sigonium, vt ceteros omittam, qui emendationum capita complura in Robortellum eodem fere stilo conscripsit, eodem etiam crimine condemnabit. perlege attente, ac rem perpende. Vale.

INDEX.

Consumpsi, consumptum, contempsi, contemptum, emptum, redemptum, ademptum, comptum littera P. interiecta omnino scribendum aduersus Lambini sententiam. Caput. I.



ITTERARVM quibus & animi sensa efferuntur, & res gestae continentur grauissimam, atque honestissimam fuisse curam argumento illud est, quod summi in Republica Romana viri de ijs egerunt. Mitto Claudium Principem, C. Caesarem, & Varronem. Vnus mihi Cicero instar omnium sit. Is in Oratore suo studioseq., accurateq. earum mutationem, & fugam recenset, atq. in ijs consuetudini auribus indulgenti plurimum tribuit. Leuis igitur nostra haec de littera, p, quibusdam in vocibus retinenda disputatio nemini videri debet, praesertim cum in eam nostro saeculo ab eruditis viris valde peccetur. Nam qui libri ex officinis Transalpinis quadraginta circiter ab hinc annis prodierunt, hodieq. prodeunt, omnes fere prauam illam scripturae notam quam Dionysius Lambinus Vir eruditissimus inusserat in his vocibus, consumsi, contemsi, promsi, consumtum, contemtum, promtum, comtum, ademtum, emtor, redemtor, praeseferunt; Neq solum librarijs, sed & doctis quibusdam viris persuasum est ita scribendum esse. Quare, ne latius in dies huiusmodi labes serpat, faciendum mihi duxi, vt Lambini errorem pro mea Virili ex omnium animis extirpem. Etenim Lambinus in ea, quam lectori scripsit epistola ad suos in Horatium commentarios auctoritate, & ratione motum se profitetur, vt ita scribendum censeret. auctorem Victorinum laudat, rationem adiungit, non debere supinum, & praeteritum a praesentis lege discrepare, neq. vllam omnino litteram, quae in praesenti non fuerit, assumere, vt in verbo emo, emi, emtum sine, P. in supino scribendum esse, in ijs autem verbis sumo, promo, contemno, como, demo praeter, m̃, liquidae naturam P. in eorum praeteritis, & supinis interponi. haec duo, quae ille putauit firmamenta disputationis suae, si euertero, dubium non est, quin res confecta, & tota eius ratio profligata sit. Victorinus igitur iste, cuius auctoritate nititur, apud me tanti non est, vt nouandum ex eius sentẽtia quidquã putem. Librum quidem indignum esse Victorino illo, quem tantopere extollunt, arbitror. multa enim & foedissima portenta ex eius de Orthographia libello petat, qui volet;

Nos omisso Victorino ad alterum Lambini friuolum argumentum, quo P. excludi oportere ab ijs dictionibus contendit, veniamus. Nullam omnino litteram quae in praesenti non fuerit, assumendam esse in praeterito, & supino scribit. Sit hoc in praeceptis positum, quid tum? nihil ne inde excipi poterit? cum nulla fere sit regula, vt aiunt, quae exceptionem non patiatur, immo, vt in redeo, reditus, redundo tertia muta, d, & in ambio, ambitus, ambigo, ambactus, amburo, ambustus, prima muta, b, pronuntiationis gratia interijcitur, sic in dempsi, demptum, emptum interponitur, p, ne quid contra litterarum naturam inter se coeat, m, t, m, s; si quidem ea est harum litterarum natura, vt neque, t, neq. s, facile patiantur, m, sibi praeponi, sed, n, malit. vt in his videmus sentit, ante, sensus, ansa, ensis; aut igitur est interpondenda, P. littera, aut m, in n. abeat necesse est, quod multis in Italiae regionibus hodie fit, molliter, vt quidem Lambinus putat, vt autem mihi videtur imminutius, blaesiusq. & puerorum infantium more, qui, cum per aetatem recte loqui non possint, litteras commutant, atq. omittunt. quanto virilius plenius, & rotundius nos enunciamus dempsi, compsi, sumpsi, contempsi, emptum consumptum, demptum, contemptum, redemptum interposita, p, non immutata verbi littera. Balbutiant isti cum puerulis, nos, id aetatis cum simus, eloquamur, vt adulti solent. Quod si Grammaticis fides habenda est, vnus mihi Priscianus luculentissimus, & locupletissimus testis instar omnium semper fuerit. Is hac de re libro decimo vere disputat his verbis. *Hae quoq. inquit, quae P. vel, m, ante, si, habuerint. Si, in tum conuertunt, vt nupsi, nuptum, scalpsi, scalptum, scripsi, scriptum; dempsi, demptum, sumpsi, sumptum, in quibus etiam, p, Euphoniae causa, interponitur, quod etiam in praeterito placuit adscribere.* Haec ille, quae priscorum monumentorum testimonium, librorumq. manuscriptorum fide confirmantur. quod Lambinus Victorino suo praestare non potuit. Huc accedit Antonij Augustini Tarraconensis Archiepiscopi harum rerum optimi aestimatoris iudicium. Is dialogo numismatum decimo totam hanc Lambini rationem exagitat, & labefactat, magnoq. in errore eos versari dicit qui in ea Haeresi sunt, librisq. manuscriptis testibus, in quibus est emptio, emptor, sumptus, confutat. Putauit autem Lambinus corrupte haec scripta esse, perinde atq. illa, Columpna, dampna, alumpnus, solempnis, & quaedam his similia quae in quibusdam lapidibus, & libris posteriorum saeculorum vitio, mendose habentur. Sed in temporibus, quibus haec, aut illa scripta sunt, iudicandis lapsus est. Omnia enim vno tempore, quo barbaries Italiam, Galliamq. vt ille ait, occupauit, nata esse simul opinatus est. Hic rursus

quaere-

quaererem ex ijs, qui Lambini errorem tuentur, quonam tempore haec monſtra terras inuaſerint;num ſexcentis ab hinc annis,vtrum ne Longobardi vitioſam ſcribendi hanc conſuetudinem in Italiam inuexerint,an Gothi? nam ante haec tempora putidum eſt fateri columpnam,aut ſolempne ſcriptum fuiſſe. Putidius fortaſſe affirmare Roma incolumi barbare,aut praue latinas dictiones ſcriptas. Extat hodieq. in Cliuo Capitolino,haec inſcriptio.

SENATVS, POPVLVS. QVE. ROMANVS
INCENDIO. CONSVMPTVM. RESTITVIT

Eſt ad forum Piſcarium in Porticu S. Angeli, quam Iunonis fuiſſe ſunt qui putent, pene par inſcriptio.

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX. AVG.
ARABICVS. ADIABENIC. PARTH. MAXIMVS. TRIB. POTEST.
XI. IMP. XI. COS. III. P. P.
IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. PONT.
MAX. TRIB. POTEST. VI. COS. PROCOS.
INCENDIO. CONSVMPTAM. RESTITVERVNT.

Vides à conſumo,factum,conſumptum,& conſumptam.

Quis publica monumenta vitioſe ſcalpta dicere audeat? quis aetatem linguae ad ſenium vergentis calumnietur?quam iſti demum aetatem probaturi ſunt?Auguſti,opinor,tantum aetas probabitur; Excitandus eſt aliquis ab inferis,qui haec nobis ediſſerat. Extant, extant, ſaeculi illius elegantis monumenta,atq. adeo ipſius Auguſti cippus eſt in aedibus optimi,ac ſplendidiſsimi Equitis Octauij Creſcentij.

ID. QVOD. INTRA.
CIPPOS. AD. CAMPVM. VERSVS
SOLI. EST. CAESAR. AVGVSTVS
REDEMPTVM. A. PRIVATO
PVBLICAVIT.

I, lambine, reprehende hoc ſi potes, quo nihil elegantius fieri poteſt. Suetonius in Auguſto extremo de Mauſoleo tale quid factum narrat,ab eodem Auguſto. Id opus,inquit, inter Flaminiam viam, Ripamque Tiberis ſexto ſuo Conſulatu extruxerat, circumiectaſq. ſiluas, & ambulationes in vſum Populi tunc iam publicauit. eſt & alius lapis ad Aerarium pari elegantia,& breuitate infra Capitolium

CALPVRNIVS. PISO
M. SALVIVS
PR. AER
AREAM. EX. S. C. A. PRIVATIS
PVBLICA. PECVNIA
REDEMPTAM. TERMINAVER

quibus in lapidibus a redimo,redemptum eſt deductum

In aedibus veroBoccabellae lapis eſt in quo ab emo,emptum video profectum

D. M
C. ASINIO. C. F. PRISCO. VIXIT. AN. XX. ET
ASINIA. C. F. IVVENILLAE. VIX. AN. XXIII
FILIS. PIISSIMIS. FECERVNT
C. ASINIVS. CHRYSEROS. ET. CINCIA
EVTYCHIS. PARENTES. ET. SIBI. ET. SVIS
LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTERISQ
EORVM. LOCVS. EMPTVS
A. LIBERTIS. ET. LIBERTABVS
IVLIAE. EPIPHANIAE

Redemptorem quoq. a redimo declinatum cum eadem littera, P, teftatur tabella marmorea, in qua fragmentum Senatus confulti de ludis faecularibus legitur: ea nunc apud Cardinalem Farnefium eft, quae Fuluij Vrfini Fuerat. eius exempla excufa funt in libro de legib. Antonij Auguftini.


Dubium, mihi non eft, quin fententiam mutaturus fuerit Lambinus, fi huiufmodi Senatus Confulti fragmentum offendiffet, quippe qui minus probaret infcriptiones temporum, quae propius a nobis abfunt. factum eft autem Senatusconfultum de ludis faecularibus, quos Auguftus celebrauit C. Furnio, C. Iunio Silano Confulibus anno poft Vrbem conditam D. CCXXXVII. Agite vero vos quicumque in Lambini verba iuraftis, refpicite ad legis Thoriae fragmenta in aeneis tabulis incifae, qua de Cicero in Bruto & libro de oratore fecundo meminit. S P. quidem Thorius Tribunus Plebis legem agrariam tulerat P. Mucio L. Calpurnio Confulibus anno D C X X. ab Vrbe condita. Longũ fieret. Si tota tranfcriberentur fragmenta. ex Sigonij vel Vrfini libris petant qui volent. Inueniẽt ea in lege. REDEMPTVM. EXEMPTVM. EMPTOREM, & SVMPSIT, diferte cum, P, littera incifum. Omitto iam infcriptiones, quorum feftiua, copia ad eam rem confirmandam fuppetit. eft in optimo & vetuftiffimo Codice Vaticano Vergilianorum operũ maioribus litteris Romanis fcripto EMPTVM ADEMPTVM REDEMPTVM CONTEMPTOR recepta, P, littera, contra vero SOLEMNES DAMMABIS. DAMNATI. COLVMNAE. COLVMNAS. COLVMNIS. P, littera nunquam admiffa. Redeo ad Lambinum hominẽ eruditiffimum quidem, fed in antiquitate cognofcenda minus diligentem, qui fi accuratior ea in re fuiffet, non adeo opinionis fuae tuendae ftudio ductus effet, vt temere fic fcriberet Eo autem, inquit, tempore nata eft haec vitiofa fcribendi confuetudo, quo tempore barbaries, ignorantiaque latini fermonis non modo Galliam noftram, verum etiam Italiam, ceterafque orbis terrarum partes occuparant. Peregrinaris Lambine in latinae fcriptionis vfu, & tota via erras. Confirmaui fupra tot, tantifq. publicis, priuatifq. Veterum operum, lapidumq. monumentis vetuftifsimum

fuiſſe hunc ſcribendi morem non ſolum occidente Romanorum Imperio, ſed incolumi, ſed Auguſti aeuo,& longe ante Auguſti memoriam. Quare cum tot ſaeculis recepta ſit haec ſcribendi conſuetudo conſentientibus publicorum operum monumentis,& libris manuſcriptis omnibus, cauſa nulla erat,cur vitioſa diceretur.Eadem quoq. antiquitatis ignoratione lapſus putaſti mendoſe ſcribi Hiemps in recto, & eſſe vitium a barbarie in latinum ſermonem illatum . Hic quoq. te fallit ratio Lambine non enim hiemps per ſex litteras recepta in nominatiuo, p, littera, quae in genitiuo euaneſcit, eius aetatis eſt, cuius eſſe opinaris,quod vel ex iſtius Victorini libello diſci poteſt,vbi nō hiemps ſolum per, p, ſcribendum minime eſſe cenſet, ſed illa quoque dempſi, ſumpſi, demptum ſumptum, hinc enim ſequitur vt vetuſtioris temporis ſit haec ſcribendi conſuetudo,quam ipſe ſomniaſti,Cum Victorinus ipſe, quem tu laudas ea de re ſcribat,Terentiusq. S. caurus idem fere ſentiat,dumq. eadem immerito redarguit,oſtendit ea in vſu multo ante fuiſſe. Illa quidem rudium ſaeculorum eſſe non negauerim quae ne nota quidem Victorino,aut Scauro fuerunt,columpna,dampnum, ſolempne; ſed nihil ad ea tempora erudita,& elegantiora pertinere contendo, neq. enim ſi in his, vel inſcitiam, vel barbariem iure accuſes, continuo ſequitur,vt eodem crimine dempſi,peremptum,hiemps condemnetur. Haec ante mille. & ſexcentos annos in vſu, & honore fuiſſe vetuſta Vrbis Romae opera teſtantur, illa vero poſt Imperij Romani occaſum barbarorum colluuies inuexit. Seruanda eſt igitur in latino ſermone, quod Velio Longo placuit, antiquitatis religio, & ſcribendum ita , vt vſus antiquiſſimus optima ſoni ratione habita flagitat. Neque vero audiendus eſt Lambinus, dum conatur perſuadere multo leniorem, faciliöremq. pronuntiationem eſſe harum vocum ita ſcriptarum ſumtum, emtum, ſumpſi, abiecta, P,quam recepta, ſumptum, emptum,ſumpſi;Nam corrupta potius,& manca eiuſmodi pronuntiatio eſt,neque illi diſsimilis, qua in Sabinis,Hernicis, Pelignisq. & plerisq. fere omnibus Italiae regionibus vulgus vtitur, vt pro emptore, entorem,pro Redemptore,Redentorem,pro capto,cattum,pro rapto, rattum,pro apto,attum, efferat, quae vulgi pronuntiatio facilior propter linguae volubilitatem Lambinianis quidem videri poterit, mihi autem debilior, bleſiorque ſemper eſt viſa, atq. haud ſatis ſcio an eadem pronuntiationis ratione ſcribenda illa quoq.iſti praecipiant ſcriſſi, ſcrittum, pro illis ſcripſi,ſcriptum, quod ſi ea minus latina eſſe videantur, idem etiam dicendum de illis demſi demtum , comtum, emtum, cenſeo. Huc accedit,quod iſtum ſcribendi peruerſum morem libri ſacri omnino auerſantur,quibus in ipſis frequentiſſime legitur,redemptus,redemptio, Redemptor, vnde profani homines hanc litteram

temere euellendam esse nequaquam audeāt, qua sonus enuntiationis, vt Velius longus ait, insistit. detracta enim inde, p, littera, & difficilius, enuntiabitur tale quid, & asperius auribus accidet. vt fiet etiam in amburo, ambio, ambigo, si princeps muta, b, auferatur. quod item fit in hiemps, licet in hac dictione recentior vsus plurimum sibi licere voluerit, contraquam veteres consueuerint: sed dandum aliquid consuetudini. Denique eodem reuertor, vt dicam, nullum esse antiquitatis vestigium, in quo haec scribendi ratio non appareat. adi lapides, aera, libros manuscriptos, quiq. inde descripti sunt, typis impressos. quid a haec respondes? vtrum fabri, an librarij erratum criminaberis? at omnia omnium saeculorum monumenta constantissimè consentiunt, & hanc scribendi rationem conseruant. Tu ad Grammaticorum incertas cōcertantiunculas confugiens aduersus morem maiorum ire ausus es, & in quibus consuetudo varia nō esset, ab ijs discedere nouādi libidine non erubuisti. quid? quod in extrema Epistola dicis, quis aequo animo ferat? *Mihi, inquis, cum paucis sine culpa temeritatis, & auctoritatem Victorini, & rationem sequi liceat doctis, &c.* qui sunt isti quos appellas doctos? num Achilles Statius totius antiquitatis peritissimus, qui istam nouitatem irridere consueuerat, an Marcus Antonius Muretus Vir eruditissimus. Cui tu vnqnam istam rationem probasti? Fuluio ne Vrsino, an Paulo Manutio, aut Petro Victorio? at ij omnes longe ab ista corruptela discesserunt. Carolus Sigonius id non admisit, Petrus Ciacconus reiecit. Obertus Gifanius scriptis etiam ad Lucretium suis confutauit, Lelius, & Iacobus, Taurellus damnarunt, Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconēsis doctissimus libris editis euertit. deniq quoquisq. paulo grauior, & Romanae antiquitatis peritior, extitit; eo minus tibi grāmaticisq. altercantibus assensus est. Quare non parū miror indignorque fuisse nonnullos, qui errare magis cū vno Lambino quā cū tot clarissimis Viris recte sentire maluerint. Sed vt sunt hominū ingenia ad res nouas propensa, facile nouationibus gaudent, & nouatoribus fauent, nec Lambino grauiores sunt, qui istam litterarum haeresim aliunde excitatam obuijs vlnis excepit. hanc enim pestem in Plauto anno MDLVIII. Basileae impresso profectam a Camerario deprendi. Spero tamen fore, vt re diligentius expensa, explorataq. veriore sententia omnes in viam reuertantur; atq. antiquius friuolis grammaticorum scitis antiquorum monumentorum fidem existiment.

Terentij

Terentij locus in Eunucho vindicatus
Item A. Gellij, Apulei, & Symmachi reiecta Donati, Lipsij, Scaligeri.
Vineti, & Iureti, sententia super verbo Claudier, & Claudere,
Scioppius laudatur. Caput II.



ERBVM insolens, tanquam scopulum fugiendum esse qui monuit, praeclare is censuisse, optimeq. de lingua inprimis latina meritus esse mihi videri solet. Verum nostro saeculo secus fit, quod grauiter fero. magnum enim periculum est, ne naufragium inde antiquis scriptoribus impendeat. Quotus enim quisq. ingenij, eruditionisq. laude maxime insignis est, qui licere sibi hoc in genere plurimum nolit? & tanquam parum locupletes latinitatis auctores habeamus Terentium, & Ciceronem, ex grammaticorum quisquilijs, seu verius delirijs ad optimum quemq. auctorem deprauandum faeculentas, & rancidas praeceptiones grammaticas in medium non proferat? Moueor rei litterariae studio, quam qui saluam vult, conatibus meis faueat. Apud Terentium succenset Thaidi Phoedria, quod ab ea immerito excluderetur, cum ei paterent facultates suae, numquamq. ipse in eam parum liberalis existeret. Verba Phoedriae haec sunt

- - - - - - - - - - - *num vbi meam*
Benignitatem sensisti in te Claudier?

ad quem locum Donatus viris doctis corrigendi, & innouandi ansam dedit. Claudier enim esse ait Claudi, aut Claudicare, fragmentisq. Sallustianis firmauit. id simul heroes isti e grammatici faece eruerunt, nihil non claudum, mancum, & corruptum reddiderunt. Delituit in Andria locus geminus, & persimilis, istosq. Aristarchos fefellit. actus enim tertij scaena tertia sub finem Chremes exoratus Simoni benigne respondet his verbis.

Nolo tibi vllum commodum in me claudier.

At ibi mutilus Donatus ne mussat quidem. quamobrem illud Claudier nec multatum, nec mutatum est. Poterat sane Donatum, Donatistasq. omnes deterrere Ciceronis auctoritas, quin Terentium contrectarent, si quae Cicero Terentij studiosus libro officiorum secundo ad illud Terentianum Claudier respiciens scripsit, obseruassent, aut reminisci potuissent. Benignitatem occludi Terentius dixerat, cuius contrarium est recludi, reserari, & aperiri. Quare hanc Terentij metaphoram perelegantem ducta similitudine ab ijs rebus, quae clausae nemini patent Terentij aemulus, ac prope fidus interpres Cicero contrario extulit, & repraesentauit his verbis; *Quamobrem, inquit, nec ita claudenda est*

res

res familiaris, vt eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, vt pateat omnibus. Vides claudere esse occludere, cui opponitur aperire, & reserare. Quid igitur Claudier pro claudicare apud Terentium isti accipiunt? Ac ne falso insimulare quempiam videar, quid quisq. Donati retrimenta magni faciens in Terentium peccauerit, nihil ipse dissimulans exponam. Elias Vinetus in commentario ad Ausonium suo de ludo sapientum in proemio extremo male Terentium accipit: *Claudere, inquit pro Claudicare veteribus quoq. vsurpatum legimus Terentius in actu primo Eunuchi*

nunc vbi meam

Benignitatem sensisti in te Claudier?

Ecce tibi Vinetus aduersus Terentium cum Donato coniurat. coniurationis socius accedit Iosephus Scaliger. Is libro secundo cap. xxj. Ausonianarum lectionum in proemium de ludo sapientum eadem affert. *claudit, inquit, ἀρχαϊκῶς claudicat. Sallustius, res soccordia claudit. Terentius deponens extulit*

nunc vbi meam.

Benignitatem sensisti in te Claudier?

persuasit Donatus viro summa eruditione praedito, vt deponêti etiam significatione Claudier pro Claudicare a Terentio sit dictum. Iustus vero Lipsius, cuius fama in illustri loco sita iam est, grauius in Terentium peccauit. Nam variarum lectionum libro secundo, capite sexto, de Terentij loco in Eunucho sic scripsit. *Quid igitur si Claudo antiquum istud verbum ea significatione in Terentio reponamus, & a vulgata librorum omnium auctoritate minimum discedentes legamus.*

nunc vbi meam

Benignitatem sensisti in te claudere?

claudere, claudicare, deficere interpretor. & eodem extremo. *fieri igitur potest, vt hoc tam probo, & antiquo verbo Terentius hoc loco vsus sit, eiusq. rei ignoratio versus hos hactenus deprauarit; sed hanc coniecturam meam vt non reijcio, ita non ante probabo, quam eam libri alicuius veteris auctoritate confirmari videro, quod sane non omnino despero.* Haec ille, qui non a verbi tantum significatione vsitata, & germana discessit, sed & vulgatam lectionem damnauit, verbumq. purum putum Terentianum corrigere conatus deprauauit. illud omnino verecundius adiunxit, non ante coniecturam suam se probaturũ, quam ex Codice vetusto confirmaretur, quod etiam non desperare se dixit. requirit Lipsius veteres libros, qui, quod ipse mutauit, testentur. Vbi nam gentium vetustiores Codices Vaticanis addito praesertim Bembino ex testamento Fuluij Vrsini asseruari putemus? At in his omnibus, qui forulis conditi in secretiore Bibliotheca Vaticana custodiuntur,

vel

vel IN TE CLAVDIER, vel interclaudier, ex antiquis etiam alij intercludier, legitur. Sed quid libros manuscriptos moretur, cum ipse metCicero imitationeTerentij Terentium ita scripsisse omnibus fidem faciat. Hic ille inquiet, si Mureto licuit mutare Claudier in Caluier, cur non liceat mihi subrogare in locum Claudier antiquum illud bonum Claudere. Mureti exemplo de Terentio castigando cogitasse se narrat. Mureti quoq. exemplo retractare, quae sibi exciderant adolescenti debuerat. Audiamus Mureti Palinodiam postrema editione Aldina excusam.

nunc vbi meam
Benignitatem sensisti in te claudier

Magnam, inquit, materiam sermonum dedit hic locus ventosis quibusdam hominibus, cum & Paulus Manutius diceret se audisse de Faerno in optimo libro legi Caluier, & ego id ei affirmanti credidissem. Sed si quid in hac re peccatum erat, secunda statim editione correctum est. haec & longe plura Muretus, quae breuitatis causa omitto, petat, qui volet ex eius in Terentij Eunuchum scholijs plenioribus, quae Aldus Pauli filius anno C I Ↄ. D. LXXV. Venetijs imprimenda curauit. Ergo Muretus admonitus illud suum caluier mutauit. Lipsius autem contumacior, pertinaciorq. mutare noluit. quare mihi faciendum fuit, vt sine vlla in virũ doctissimum maleuolentia accuratius, prolixiusq. tota de re scriberem. Quod autem Lipsius admonitus mutare noluerit, ex libro Electorum primo capite septimo intelligitur. *Reposui, inquit, olim in Terentij versu*

nunc vbi meam
Benignitatem sensisti in te claudere.

Nec persuasi multis, credo, quia audacior, quam pro aetate coniectura erat. itaq. comiter admonuerunt etiam me quidam vt mutarem; Pepo, non homo sim, si id faciam & libro Epistolicarum Quæstionum quarto epistola decima quarta, *claudit*, inquit, *valet, deficit. monui olim id verbi in Terentij Eunucho reponendum benignitatem claudere, nec multis persuasi, quanquam aperte agnoscit Donatus.* Haec ille obstinatior omnino quam par est, videtur Lipsius, atq. adeo dolet, quod multis non persuaserit. Vtinam quibusdam non persuasisset. non enim optimos scriptores ista corrigendi prurigine deprauassent Lipsium auctorem secuti. Idem Electorum libro primo capite septimo, vel Aulum Gellium isto modo corrupit. Scripserat enim libro primo capite septimo noctium Atticarum auctor de Ciceronianis numeris. *Testis est Sicilia, quam multis vndiq. cinctam periculis non terrore belli, sed consilij celeritate explicauit. At si explicuit diceret imperfecto & debili numero verborum sonus clauderetur.* hic Lipsius *scripserim, inquit, sonus*

claude-

claudéret, antiquo verbo, deficeret. Lipfius numeri Ciceronis rationem habere non videtur, qui eundem numerum in Gelliano verbo fuftulerit, & vfitatum a Cicerone verbum, propriumq. ad Periodos, ambitufq. orationis concludendos alio detorquens emendandi libidine, commutare aufus eft. Cicero ob eam ipfam rem in libris de Oratore frequenter claufulas appellat, & in Oratore ait, *quidquid ita concluditur, plerumq; fit, vt numerofe cadat.* Eadem ratione Apuleium adoritur, & ex libro vitiofe fcripto, clauderet, pro clauderetur, fupponit: *Sed inquit, & Apuleium nunc in eapfe voce corrigo libro quarto floridorum fub initium? Vtinam mihi pro amplitudine auditorij prolixa oratio fuppeteret, ac non hic maxime clauderetur, vbi me facundifsimum cuperem. Lego clauderet: ex vetere manufcripto.* Lipfius tanto verbi iftius claudendi amore correptus eft, vt omnibus in libris iure, an iniuria, collocet. non alienum hinc fortafse fuerit illud Catulli de Arrio, qui afpirationem, vbi etiam minime oporteret, adhibere confueuerat.

Cum fubito affertur nuntius horribilis,
Ionios fluctus, poftquam illuc Arrius ifset,
Iam non Ionios effe, fed Hionios

Riualis Lipfio inuentus eft Iuretus, qui Symmachum, quem mifcellaneis auctum M. D C I V. edidit, & ipfe eodem pacto corrupit. libro enim primo epiftola feptima, & vigefima, vbi fuperiore editione legebatur, *Diu fcribendi operam diftulifti, & vereor ne forte in nos parentis claudicet affectio. Claudat* ex *claudicet*, ex vetere Codice fe fecifse affirmat, & epiftola fecunda libri fexti, vbi prius ediderat, vt in vulgatis eft, *Arbitror tamen fi Marcianae fororis veftrae non fit clauda promifsio; fuccefsionis ambiguum domefticae poffe remoueri.* Suo arbitratu Iuretus iufsit illud *fit clauda* abire in *claudat*. Vulgatam vero lectionem tuetur eximiae doctrinae & pietatis Vir Gafpar Scioppius, qui notas bonae frugi refertas in Symmachum adornauit, & ad Terentianum claudier retinendum contra Lipfianam correctionem vtitur & ipfe Ciceronis auctoritate. Iam mihi videor vereri pofse, ne, qui tantopere in amoribus, & delicijs illud fuum claudit habere folent, Ciceronis quoq. libros contaminent, & fortafse quifpiam libro tertio de Oratore, claudit ex aliquo vetufto Codice imperite defcripto fecerit, vbi recte in vulgatis legitur. *Verum, inquit, vt in verfu vulgus, fi eft peccatum videt, fic fi quid in noftra oratione claudicat fentit.*

Hoc non temere dico. nam in antiquo & valde bono Codice Tufculanarum Quaeftionum, quem Vaticanae Bibliothecae Fuluius Vrfinus legauit, libro Quinto, quod erratum vt fit interfcribendum, admiferat fcriptor librarius, id fubinde recognitum idem correxit, mutata vna litera, & duabus fuperadditis, quod apparet eadem manu factum, nam & atramen-

atramentum aeque vetuſtum eſt,& Caracteris forma prorſus conuenit.Ciceronis verba haec ſunt de Antiochi ſcitis recte omnino in vulgatis libris impreſſa.*Item beatā vitam etiamſi ex aliqua parte claudicaret;tamen ex multo maiore parte obtinere nomen ſuum*. *Clauderet* autem eſt in manuſcripto, vt dixi, mendoſe quidem deſcriptum verbum,ſed ab eodem ſcriptore correctum.Hoc iterum, atq; iterum profiteor,& conteſtor, ne quis Ciceronem ex mendoſa ſcriptura inquinare audeat, atq. ex Ciceronis falſo verbo altiores radices iſtorum *claudit*, aliquando agat. Cum autem Tuſculanarum Quaeſtionum calamo exaratum librum inſpicerem, teſtem adhibui virum ſane doctum,& integerrimnm Dominicum Ranaldum Bibliotecae Vaticanae Cuſtodem,qui me rogante vidit, & agnouit cum mendum, tum correctionem eiuſdem manus eſſe. poterit etiam, cui libitum fuerit, Codicem adire, & rem perpendere diligentius. Siquis aduerſus eam caſtigationem ierit, neque me, neque,quam ego ſum, eruditiorem quempiam tacitum feret.

Ciceronis loci in tertia & quarta Catilinaria confirmati reiecta Mureti Manuti, & Carrionis emendatione. Cap. III.



IXI, & ſaepius dicam non eſſe temere deſcendendum ad veterum ſcriptorum emendationem ſiue id ex ingenio, ſiue ex libris manuſcriptis fiat.Nam plerunq. nouandi ſtudio peccatur, & oſtentandae eruditionis gratia, quae recta ſunt deprauantur, & ipſi Codices calamo exarati plerumq. mendoſi ſunt. In Oratione Ciceronis ad Quirites in Catilinam inſimulatur P. Cornelius Lentulus Praetor, quod ad Regni obtinendi ſpem diuinis teſtimonijs vocari ſe dixiſſet.Verba Ciceronis haec ſunt,Lentulum autem ſibi confirmaſſe ex fatis Sibyllinis,Haruſpicumq. reſponſis ſe eſſe tertium illum Cornelium,ad quem regnum Vrbis huius, atq. Imperinm peruenire eſſet neceſſe Cinnam ante ſe, & Sullam fuiſſe. M. Antonius Muretus in hanc orationem ex vetere quodam libro putat non ex fatis Sibyllinis, ſed ex libris Sibyllinis legendum. Ludouicus vero Carrio Antiquarum lectionum commentario tertio capite ſexto Mureto Manutio Lambino,& Bruto inſultat,peneq. conuicium facit,quod reſidere in orationibus Ciceronis tot vitia ſint paſſi, quot ipſe a ſe ſublata gloriatur, & in ijs locum hunc a Mureto perperam mutatum, ab alijs ſiue prӕteritum,ſiue Mureti mutationi relictum conqueritur. ipſe autem ex duobus Codicibus manuſcriptis Gemblacenſi,& Egmondano, Beroaldiq. exemplari ineptam dictionem affert, nec librario-

rum erratum agnoſcit, atq. in eo peccat. Nam pro fatis, ijs in Codicibus eſſe teſtatur faſtis, cum interpretatione hoc eſt libris Sibyllinis, in quibus faſti futuri Romanorum continebantur. Vtq. adulterinum pro vero facilius obtrudat, perſuadere conatur rem falſiſſimam, a nemine quod ſciam, proditam, libros ſibyllinos faſtos eſſe appellatos, quod quidquid fatale in ſingulos annos, & dies acciderет, complecterentur. Ego vero libros Vaticanos Bibliothecae Pontificiae tres Orationum Ciceronis contuli. in duobus eſt ex faſtis, in vno factis Sibilis corruptiſſime pro fatis Sibyllinis cum interpretatione ſupra dictionem, id eſt libris Sibyllinis; vnde liber alius deſcriptus videtur Sixto Quarto Pontifice, vbi legitur ex libris Sibyllinis. firmamenti ſi quid in ijs codicibus, qui infinitis erratis ſcatent, ponas, nae ipſe tota erras via; diſcripti ſunt omnes paulo ſupra centum quadraginta annos, & fortaſſe infra ab imperitis librarijs quibus addere, ſubducere inuertere litteras, & ſyllabas pro inſcitia eſt peculiare. Hic Carrio ex fide manuſciptorum codicum obijcit mendoſum vocabulum & prorſus alienum a re, qua de agitur, nec videt adiectam litteram exſibilantem per imprudentiam ab indocto librario. Verum ne dicat me ſine teſtimonio agere. attendat quaeſo: ſunt in penetralibus eiuſdem Pontificiae Bibliothecae Codices manuſcripti duo Orationum in Catilinam, qui fuerunt Fuluii Vrſini viri accuratiſs. & doctiſsimi in altero recentiore, & mendoſiore ex faſtis, in altero autem ex fatis. Is Codex cum vetuſtate, tum correctione ceteris omnibus, quos ſupra recenſui praeponendus eſt, atq. vnus inſtar omnium habendus eſt. certamus Codicibus. Ille numero vincet. ego vno vetuſtiore, atq. adeo emendatiore, & qui omni exceptione ſit maior, ſupero. libri calamo ſcripti pleriq. fere omnes mendoſi ſunt, quippe qui ab ineruditis librarijs ſaeculis incultis, & ab omni prope humanitate expertibus Italiam barbarie opprimente ſunt deſcripti. ex tot autem librorum conſenſu illud obtineat, vt Mureti mutationem reijciamus. ex faſtis enim ſeu factis mendoſis dictionibus neceſſario ſequitur, vt ex fatis emendatiſsime legatur, cuius rei rationem. exponam. fata enim Sibyllina proprie, quae Lentulo Imperium portenderent a Cicerone dicuntur. quod & paulo poſt repetitur his verbis. Nihil ne ſecum eſſet de fatis Sibyllinis locutus. Vides de fatis, quae libris Sibyllinis continerentur eſſe ſermonem. Peccatum eſt igitur a Carrione qui ſcripturam illam mutare voluit. Nam fata & oracula Sibyllina vocantur, & libri Sibyllae fatales, & fatidici ob eam cauſam dicuntur. Lactantius Firmianus de ira Dei cap. xxiij. ait. Cumaeae quidem volumina, quibus Romanorum fata conſcripta ſunt in arcanis habentur, caeterarum tamen fere omnium libelli, quo minus in vſu ſint omnibus, non vetantur.

Tibullus

Tibullus eleg. v. libro secundo

Te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla est
Abdita quae senis fata canit pedibus.

Verg. libro sexto Aeneid.

Te quoq. magna manent regnis penetralia nostris
Hic ego namq. tuas sortes, arcanaq. fata
Dicta meae genti ponam, lectosq. sacrabo
Alma viros.

Cumaeam Sibyllam Aeneas alloquitur, eiq. pollicetur in templo Apollinis locum, vbi fata Sibyllina ad Populum Romanum spectantia per Quindecim viros sacrorum inspicienda conderentur. Audin fata, & sortes a Vergilio & Tibullo libros Sibyllinos appellari. Rutilius quoque eodem dicendi genere vsus est libro itinerarij sui secundo in Stilichonem inuectus, qui libros Sibyllinos cremauerat

Nec tantum Geticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllinae fata cremauit opis.

Item oracula & fata Sibyllæ. Vergilius libro Aeneidos tertio dixit.

Huc vbi delatus Cumaeam intraueris vrbem,
Diuinosq. lacus, & Auerna sonantia Siluis,
Insanam uatem aspicies, quae rupae sub ima
Fata canit, folijsq. notas, & carmina mandat.

Helenus Aenean monet, vt Sibyllam adeat, & ab ea, quae fata caneret, oracula peteret. quod paulo infra dixit.

Hic tibi nequa morae fuerint dispendia tanti
Quamuis increpitent socij, & vi cursus in altum
Vela vocet, possisq. sinus implere secundos,
Quin adeas vatem, precibusq. oracula poscas.

A Cicerone quoq. libro de diuinatione primo. Oracula Sibyllae vocantur. Versus etiam Sibyllae ab eodem infra nominantur, his verbis. quibus, inquit, portentis magna Populo Romano bella, perniciosaeq. seditiones denuntiabantur, inq. his omnibus responsa Haruspicum cum Sibyllae versibus congruebant.


Ab Ausonio Carmina, & quidem fatalia his versibus appellantur

Atq. trifatidicae nomen commune Sibyllae
Quarum tergemini fatalia carmina libri,
Quos terquinorum seruat cultura virorum.

Liuius libro xxij. fatales dixit, quod in Sibyllae libris Populi Romani fata essent. Decemuiri, inquit, libros Sibyllinos adire iubentur. qui fatalibus libris inspectis retulerunt patribus, &c. Suetonius in Caesare fatales Sibyllae libros, in Augusto fatidicos eadem de causa appellauit. Deniq. eodem modo dixit Cicero Lentulum ex fatis Sibyl-

linis ad Regnum Vrbis Romae vocari, quod scripsit libro de Diuinatione primo ex fatis, quae Veientes scripta haberent Veios capi non posse, &c. Postremo ea esse Lentulus euentura iactabat, quae ex fatis, quae Sibyllae nomine circumferebantur, eorumq. fatorum libri in omnium manibus erant; vt ex Lactantio docuimus, & Halicarnasseus, libro Romanarum antiquitatum quarto scribit post conflagratum Iouis Capitolini templum, librosq. Sibyllinos, qui in arca lapidea ibidem asseruarentur incendio consumptos ex S. C. legatos per Italiam, & Erytras Asiaticas non solum a Ciuitatibus sed a priuatis quoq. hominibus petita Oracula Sibyllina describenda curasse, & Romam attulisse, quae in locum incensorum subrogata sunt, licet in ijs multa essent, quae Sibyllae falso adscriberentur. Item ex Suetonij Augusto intelligitur, qui supra duo millia fatidicorum librorum graeci, latiniq. sermonis vndiq. contracta cremasse dicitur. Quare siue accipias ex fatis Sibyllinis, quorum exempla priuatim Lentulus haberet, siue de ijs intelligas quae in tres libros relata publice custodirentur, a vulgata scriptura recedendum non esse multis de causis, quas supra commemoraui censeo. In quarta etiam Catilinaria neq. Carrionis neq. Manutij lectionem sequor, hic enim ex factis, ille ex fastis legit. vtrobiq. erratum est. Verba Ciceronis haec sunt. Cum vero mihi proposui regnātem Lentulū, sicut ipse se ex fatis sperasse confessus est. haec Cicero. quid fatis cum factis; seu fastis commune potest esse? vtrumq. mendosum. legendum igitur ex fatis; quod Ciceronis sententia postulat. sperauit enim Lentulus ex fatis se regnaturum, vt initio huius orationis dixit. Etenim si P. Lentulus suum nomen inductus a vatibus fatalem ad perniciem reipublicae fore putauit, &c. inductus inquit a vatibus, ergo sperauit ex fatis, Sallustij verba ad rem faciunt. At Lentulum dissimulantem coarguunt praeter litteras sermonibus, quos ille habere solitus erat ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Cornelijs portendi. Cinnam atq. Sullam antea, se tertium esse, cui fatum foret Vrbe potiri. fatum, inquit, Lentulo foret Vrbe potiri. Ex fatis igitur sperauit regnum Lentulus. Quare hanc esse veriorem scripturam confirmo.

Ciceronis in Epist. ad Atticum loci perperam à Paulo Manutio accepti. Cap. IIII.



DE Pomoerio per Caesarem ampliando, & Vrbe augenda quid fuerit promulgatum, Cicero epistola vigesima cuius initium est A. Caesare litteras accepi consolatorias, libro decimo tertio ad Atticum exquirit. In eum locum Paulus Manutius, cui plurimum bonarum lit-

terarum

terarum studiosi debent. sic scripsit. Vt à Ponte Miluio Secundum montes Vaticanos Tiberis duceretur. sic enim fiebat, vt Vaticanis montibus cis Tiberim inclusis & ea fossa, qua prius Tiberis decurrisset, ex siccata magnā in amplitudinē Vrbs explicaretur. Nō videtur Manutius Caesaris rationem de augenda Vrbe tenere, neq. Ciceronis sententiam capere, qui eodem libro epistola trigesima tertia, cuius initium Negligentiam miram, ea de re quid inaudiuerit Attico narrat. Sed casu, inquit, sermo a Capitone de vrbe augenda a Ponte Muluio Tiberim duci Secundum montes Vaticanos, Campum Martium tum aedificari, illum autem campum Vaticanum fieri quasi Martium Campum. videndum Caesaris consilium, quod Ciceronis verbis explicatur. Cum perferendam Caesar legem curaret, vt quod Sullae licuerat, sibi quoq. qui terminos Imperij Romani protulisset, ampliare pomoerium liceret, statuerat Campum Martium, qui extra Vrbem erat, aedificijs occupare & muro cingere, prolato fortasse ad portam, quae nunc populi appellatur, pomoerio. Sed quoniam Relligio Caesaris consilio obstare videbatur, quod esset Campus, is Marti Sacer, nec posset templum Martis intra Vrbem recipi, decreuerat, mutato Tiberis alueo, & ducta fossa secus montes Vaticanos ex Campo Vaticano efficere Campum Martium, ibiq. Marti templum dedicare, vt esset flumen campo Martio propinquum, quo se natatum iuuentus Romana post militares exercitationes immitteret Manutius autem ampliorem vrbis ambitum facit, & campo, qui erat futurus Martius Tiberim penitus aufert, vltra enim montes Vaticanos ducendum Tiberim ex verbis Ciceronis putauit. eo enim Manutij verba spectant. Vaticanis montibus cis Tiberim inclusis. At Cicero Scripsit duci Tiberim secundū Montes Vaticanos, Cāpū Martiū aedificari, cāpū vero Vaticanū fieri quasi Martiū campū. Ex ijs verbis intelligimus Mōtes Vaticanos flumine discludēdos, vt essent trās Tiberim, Hoc videtur animaduertisse Manutius, alioqui accuratissimus. Sed putauit Montes quoq. Vaticanos inaedificādos & Vrbi adiungendos, id enim videntur Manutij verba innuere. Vt Vaticanis montibus cis Tiberim inclusis, & fossa, qua prius Tiberis decurrisset, exsiccata magnam in amplitudinem Vrbs explicaretur. haec ille, quod nę cogitauit quidem Caesar, nec Cicero Scripsit, nec fieri per Religionem licuisset. In alium etiam errorem Manutium vulgata scriptura Epistolae 33. induxit, Campum Martium coedificari, cum Campo, inquit Manutius Vaticano, vt ex duobus Campis Martio, et Vaticano, qui Tiberi influēte discludebātur vnus fieret Martius Cāpus fossa Tiberis obturata. Non hoc sibi vult coedificandi verbum, vt ex duobus vnus conflaretur Campus. Sed frequentibus vicis, domibus, templis, a quibus

bus erat vacuus, & expeditus Campus Martius, compleretur. Campi Martij nomine inde translato, vt eſſet pars Vrbis intra pomoerium recepta. Coedificari, eſt multis, iisq. continentibus aedificijs locum occupari, quod fortaſſe Manutium fugit. qui coedificari Campum Martium cum Campo Vaticano dixit. Vetus Codex hominem admonuiſſet, vt aliter ſentiret, in quo eſt legere, tum aedificari, Omnino diuerſa eſſe, & diſparata duo illa, dicendi genus oſtendit, Campum Martium ſiue coaedificari, ſiue tum aedificari legas, ſequitur enim diuerſum ab eo, illum autem Campũ Vaticanũ fieri quaſi Martium campum. Vides ex campo Martio Vrbem excitatis aedibus augeri, ex campo autem Vaticano Campum Martium effici non igitur coaedificari, eſt coniungi, & ex duobus vnum fieri campum. Sed Campum Martium coedificari, eſt ex campo Vrbis partem fieri multis ſimul conſtructis aedificijs. verũ homines ſumus, nõ omnes omnia videmus.

Nec ſemper feriet, quodcumq. minabitur arcus.

Ouidianus locus libro Triſtium ſecundo reſtitutus, & illuſtratus Merula, & Carrione notatis. Caput V.



Vuos libros de ſuo exilio ſumma triſtitia affectus Ouidius ſcripſit, eos propter ſententiarum, verborunq. illuſtrium incredibilem copiam, & miram varietatem dignos eſſe, qui ab adoloſcentibus ſine vllo morum detrimento legatur, nemo ex eruditioribus non cenſuit. Vtinam ſortitus eſſet Ouidius interpretes, qui aut inepta non attuliſſent, aut certe libros manuſcriptos diligenter adijſſent, atq. ex eorum fide vel impreſſos caſtigaſsent vel variantes lectiones adnotaſſent. quod aliquando, vt contingat, non deſpero. Perſuaſeram mihi quidem tale quid ex officinis Francofurtienſibus proxime prodijſſe ſed me ſpes fefellit. Quare ſilentio prætereundum mihi non eſſe conſtitui locum in eleggia vnica libri Triſtium ſecundi. Qui mendoſus in omnibus excuſis legitur; pariq. inſcitia explicatur à Merula, non nihil tamen à Carrione quidem correctus, ſed nugacius ab eodem tractatus. Accurate Ouidius cauſam dicit, quamobrem lege Iuliae non teneretur. licet libros de arte amãdi edidiſſet, quibus matronas ſollicitaſſe, atq. adulteria ſuaſiſſe videretur. Nam ad eas tantum, quibus cum per leges conſuetudinem habere iuuenes poſſent, libros ſuos inſcripſiſſe ſe, ab eorumq. lectione maritas ſummouiſſe verſibus initio ad rem apposite adiectis profitetur. Rurſus cum vrgeri ſe animaduerteret, quod honeſtiores quoq. feminę ſtudioſe libros eos legerent, atq. ad nequitiam ſtuprorumq.

turpi-

turpitudinem instruerentur, crimen, ita diluit, vt dicat matronarum quoq. ingenia ad libidinem propensa, vel ex historia, quę vitae magistra perhibetur, armari ad flagitium posse. id autem quatuor versibus, quos restituendos, illustrandosq. suscepimus, complexus est.

Sumpserit annales, nihil est hirsutius illis.
Facta sit vnde parens Ilia nempe leget.
Sumpserit, Aeneadum genetrix vbi prima, requiret,
Aeneadum genetrix vnde sit alma Venus.

Tertius versus mendum contraxerat, nos ex manuscripti libri Vaticani fide mendum sustulimus & distinctione lucem ei admouimus. in nonnullis autem impressis libris quam absurdissime habetur.

Sumpserit Aeneiden

Maronisq. opus interpretatur Merula, & ex falsa interpunctione toto errat caelo. Nã & incertus est vtrum, prima, matronae ad nequitiam procliuiori adhaerere debeat, an aduerbij vim habeat &, Vbi, locum significare hariolatur quo in loco Venus cum Anchise coierit, Aeneanq. conceperit illud vero delirium est merum quod super, Vnde, his verbis protulit, vnde sit, inquit, vnde ducat originem, quasi dicat a partibus obscaenis Saturno abscissis. in reliquis impressis est

Sumpserit Aeneaden

et pro ipso Vergiliano poemate, quo nihil alienius, passim accipitur, nã Aeneiden siue Aeneaden pro Aenea dixerit nemo, cũ Aneae filius Aeneides vel Aeneades sit. pro Aeneide aũt quis accipiat, cũ neq. carminis, ñeq. flexus ratio id patiatur? Vide nunc quam sit expedita, & dilucida horum versuum explicatio, proximis superioribus versibus dixerat ex annalibus quibus in ipsis de Romanorum origine, rebusq. gestis agitur intelligi Iliã Vestalẽ Martis cõpressu matrem factã. pergit sequẽtibus. Sumpserit dicendi genus concisum perelegans, poetis familiare. subintellige vel eosdem annales, vel opus quodpiam, vbi paulo altius a Venere per Aenean Romanorum origo repetatur, continuo inuestigabit rebus impudicis obnoxia mulier, vnde genuerit Aenean Venus ex Marito ne Volcano, an ex adultero Anchise. Ad haec enim duo principia Romulum, & Aenean Reipub. Romanae incrementa referuntur, quod & Iustinianus Collatione quincta, titulo tertio testatur. Prima igitur genitrix Aeneadum est Venus, atq. ita prima, vt supra progredi non posit quisquam. *Vbi*, vero interpretor quibus in annalibus est vltima Aeneadum parens Venus: & tractatur de Venere Aeneadum suprema parente. Ingeniose Rutilius Dijs, Veneri nimirum & Marti consecrasse Romanos origines suas quod hostem arma inferentem vincerent, victoq. ignoscerent, his versibus Romam alloquens testatur

Aucto-

Auctorem generis Venerem, Martemq. fatemur,
Aeneadum matrem, Romulidumq. patrem
Mitigat armatas victrix Clementia vires,
Conuenit in mores nomen vtrumq. tuos.

Nunc venio ad Carrionis nugas. Vidit is quidem Merulae deljria, & irrjfit, verioremq. lectionem propofuit, quam nos ex Vaticano Codice confirmamus, fed Ouidij mentem non cepit. & ad id ineptius defcendit, vt diceret de Lucretij libris fenfiffe Ouidium, quod Lucretij opus de rerum natura fuum, a Veneris inuocatione fit exorfus, quodq. vniuerfi operis primus verfus, atq. adeo princeps dictio fit.

Aeneadum genitrix.

atq. eo referenda effe redicule putauit Ouidij verba illa

Aeneadum genitrix vbi prima

quod illis ijfdem verbis fit initium Lucretianis libris ductum, & prima fit in Lucretio Aeneadum genitrix, additq. Carrio arrepta occafione inde fluxiffe antiquitus confuetudinem allegandi leges per initia, quod vulgo in Scholis, & in iudicijs hodie frequentatur, vt l. tres fratres ff. de pactis. Nihil ab Ouidij fententia excogitari potuit alienius, nihil ineptius, nihil nugacius; neq. illud non leue acceptum eft ab eodem quod Ouidius dixerat

Sumpfert Annales, nihil eft hirfutius illis

eo detorquet Carrio Ennij hirfutam coronam qua de Pompertius

Ennius hirfuta cingat fua dicta Corona.

nihil ad rem. quamuis Ennius rudis arte vt ille inquit fuerit, & parũ cultus. hirfutos annales dixit Ouidius tetricos, rigidos, graues, & ad rerum geftarum memoriam, feuerioriſq. difciplinae narrationem cõparatos. haec non infectandi doctos alioqui Viros ftudio fcripfimus, fed refellendi gratia, quaecunq. minus congrua videremus in medium ab illis prolata, ne quis eorum auctoritate deceptus eodem in errore verfetur.

Ciceronis locus de Caninio, qui vfq. ad kal. Ian. quae erat futurae mane poftridie fuffectus Fabio Maximo in toto confulatu fuo fomnum non vidiffe a Cicerone per iocum dicitur. Victorio Manutio, & Sigonio notatis. Caput VI.



IN C. Caninium Rebilum iocatuus eft varie Cicero. Dialem Confulem, cum folerent effe Flamines Diales, apud Macrobium appellat, quod per diem tantum Conful fuerit, eundemq. mirifica fuiffe vigilantia, qui toto Confulatu fuo fomnum non viderit, facete dixit. Cur autem ita

iocatus.

iocatus sit in Caninium, qui vsq. ad Kal. Ian. quae erant futurae mane postridie ex Tranquillo intelligi potest, qui Caesarem pridie Kal. Ian. repentina Consulis morte cessantem honorem in paucas horas Caninio petenti dedisse scriptum reliquit. Eorum omnino interpretationem non admitto, qui priorem partem noctis transactam esse rebus agendis, reliquamq. ne tota vigilando traducta esse nox prorsus videretur, ad annum sequentem spectare crediderunt. Diei enim plane, non item noctis rationem habitam video. Quod à Dione Caninium simul & Consulem factum esse & gessisse honorem, & deposuisse, tantaq. fortitudine & cura in magistratu extitisse, vt ne breuissimum quidem somnum admiserit, per locum ex Cicerone relatum sit. Plutarchus quoq. scribit. a Cicerone amicos admonitos fuisse, qui vna officij gratia Caninium adibant, maturandum esse, vt antequam Consulatu abiret, homini gratulari possent. Neq. Ciceronis verba impedimento sunt, quo minus ita accipiendum sit. vsq. ad Kal. Ian. quae erant futurae mane postridie. Nam cum omnes Consules vsq. ad Kal. Ian. Consulatum gererent, quae aberant a die initi magistratus duodecim menses, vel pauciores, si quis suffectus esset, ad indicandam summam breuitatem additum est illud, Quae erant futurae mane postridie, id est non post duodecim, sex, tresve menses, aut aliquot dies, sed post eum diem tantum, quo substitutus est Fabio Caninius. Ad Kal. autem Ian. dixit, vt ad Vrbem. Mitto iam argumenta. ac si ex Cicerone ipso aperte constare non ostendero partem nullam noctis, quae vltimum Decembris diem sequitur ad Consules veteres pertinere, non recuso, quin nullius esse iudicij existimer. Quaero nūc quo die veteres Consules magistratum deponebant. hic haereas necesse est. Si dixeris Kal. Ian. absurdum erit eodem die magistratum & absolui & inchoari. Si media nocte, vbi Contio? ad populum enim Consulatu abiens verba faciebat. vt est apud Ciceronem in Pisonem videre. Ego inquit, cum in Contione abiens magistratu dicere a Tribuno plebis prohiberer ea, quae constitueram. & XIV. epist. ad Atticum lib. 1. ad me autem postridie eadem frequentia conuenit, qua cum abiens Consulatu sum domum reductus. Quo autem die id fieri soleret, quod maxime ad hanc quaestionem explicandam facit, ex Ciceronis epistola secunda libro quinto ad Metellum intelligi potest, vbi diserte scriptum est, quod in Pisoniana tetigerat. atq. ille, quod te audisse credo pridie kal. Ianuarias, qua iniuria nemo vnquam in aliquo magistratu improbissimus ciuis affectus est, ea me cōsulem affecit; cū remp. conseruassem, atq. abeuntē magistratu Contionis habendae potestate priuauit. haec ille. Vt igitur designatis & nouis consulibus anni, & honoris principium erat pri-

mus Ianuarij dies, fic veteribus finis vltimus Decembris dies ; quod vel ex Ouidij ad Graecinũ epiftola, lib.4. de Ponto cognofci poteft.

Altera laetitia eft, nec cedens caufa priori.
Succeffor tanti frater honoris erit.
Nam tibi finitum fummo Graecine Decembris
Imperium Iani fufcipit ille die.

Mirum eft quam in illo Ciceronis de Caninij vigilantia ioco doctiffimi viri errauerint. P. Victorius Caninium feptemdecim horarum fpatio Confulatum geffiffe fcriptum reliquit. Paulus Manutius priorem partem noctis, quam pertinere putat ad Prid.Kal. ab occupato Confule in fomnem traductam dicit ,: pleriq. curis diftentum toto Confulatu non dormiffe. Quibus omnibus impofuit illud, Quae erant futurae mane poftridie. Victorius totam noctem Caninio adiudicauit vigilanti. Manutius mediam dormitanti conceffit. Vterq. falfus eft. neuter ad morem maiorum refpexit,quibus inftitutum erat, vt honorem Populi Romani beneficium Prid. Kal. Ian. Cõfules pro roftris populo refignarent, & priuati domum difcederent. Carolus quoq. Sigonius commentario in faftos Confulares de Confulibus anni DCCVI. lapfus eft, qui fcripferit Caninium in vnam noctem a Caefare Confulem creatum. Macrobius ne dubitandi quidem locum relinquit, fi quis attente,quae hac de re fcripfit,perpendat. Caninius inquit lib. Saturnal. fecundo cap. tertio,qui vno die Conful fuit,roftra cum afcendiffet,pariter honorem inijt Confulatus, & eiurauit, quod Cicero gaudens omni occafione Vrbanitatis increpuit λογοθεώρητος eft Caninius &c. Et lib. Saturnal. 7. cap. 3. eidem inquit exprobanti fibi quod ad eundem Confulem non veniffet, Veniebam inquit, fed nox me comprehendit. Huc pertinet quod Tacitus lib. hiftor. tertio fcribit. Nec defuit, qui vnum confulatus diem (is enim in locum Caecinae fupererat)magno cum irrifu accipientis,tribuentifq. eblandiretur, Prid. Kal. Nouembris Roffius Regulus inijt, eiurauitq. Annotabant periti nũquam antea non abrogato magiftratu, neq. lege lata alium fuffectum. Nam Conful vno die, & antea fuerat Caninius Rebilus C. Caefare Dictatore, cũ belli Ciuilis praemia feftinarẽtur.quis nõ videt Reguli Confulatũ cũ Caninij Cõfulatu collatum.fi quidem Regulus honorẽ fimul & cepit,& depofuit. Quod ante fecerat, & Caninius. Plin. lib. 7. cap. 53. de mortibus repentinis. Nullis euidentibus caufis obiere, dum calciantur matutino, duo Caefares Praetor, & Praetura functus Dictatoris Caefaris pater, hic Pifis, ille Romae, Q. Fabius maximus in Confulatu fuo Pridie. Kal. Iannuarij, in cuius locum C. Rebilus pauciffimarum horarum confulatum petiit. in Plinij libro impreffo legitur. M. Orelius male. Eiurare

rare autem est magistratu se abdicare. Tacitus lib. Annalium duodecimo, Adactusq. Silanus eiurare magistratum, & reliquus Praeturae dies in Eprium Marcellum collatus est. Plinius quoq. Iunior, & quasi eiurato magistratu priuatum me facerem.

Ouid.lib.Tristium v. Eleg.6.

Saucius eiurat pugnam gladiator, & idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.

Inde autem verbi huius significatio ducta est, quod qui magistratu abibant, iurabant bene a se Rempub. administratam, vt ex Ciceronis epistola ad Metellum intelligitur. Eo igitur pertinet Ciceronis iocus in Caninium, qui in toto Consulatu suo somnum non vidit; propterea quod eodem die, quo in Fabij Maximi Consulis mortui locum subrogatus est, magistratum de more in Contione deposuit, domumq. ante noctem prid. kal. Ianuar. reductus est, vbi & priuatus noctem dormiuit. Quare viri doctissimi, qui longe aliter rem acceperunt, lapsi sunt, & Ciceronis iocum non ceperunt.

In Passerem Catulli apud Martialem notatur Ludouici Carrionis explicatio. Caput VII.



Vanquam neq. Politiano, neq. Turnebo in passeris expositione apud Martialem faueo, tamen Ludouici Carrionis sententia doctissimorum hominum errorem notantis mihi non probatur. Politianus in Epigrammatis septimi ad Romam & Dindimum lib.xj. extremis hendecasyllabis.

Da nunc basia, sed Catulliana,
Quae si tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi passerem Catulli.

Ea comminiscitur, quae non solum a Poetae pudore, sed a sententia ipsa sunt aliena. Passerem Catulli pollicetur Dindimo Martialis, carmen, inquam, ad Passeris Catulliani exemplum conscriptum. pro carmine autem aeque hic, atq. epigrammate Octauo libro primo passerē Catulli Martialis accepit. vbi confert Stellae poema cum Catulli Poemate ad Maximum.

Stellae delicium mei columba,
Verona licet audiente, dicam,
Vincit Maxime passerem Catulli.

Vides columbam Stellae, carmen fuisse de columbae laudibus, vt Catullus scripserat Hendecasyllabos in Passerem Lesbiae. extremis autem duobus hendecasyllabis, quibus Stellam Catullo praefert, comparatione auium passeris, & Columbae vtitur.

Tanto Stella meus tuo Catullo,
Quanto Paſſere maior eſt columba.

de aue quoq. ſenſit epigrammate xiij.lib.vij.ad Aulum, vbi Lesbiam de paſſere amiſſo, & Violantillam de Columba extincta dolentem cum maerore dominae ſuae confert

Accidit infandum noſtrae ſcelus Aule puellae
Amiſit luſus, delitiaſq. ſuas.
Non quales teneri plorauit amica Catulli
Lesbia, nequitijs paſſeris orba ſui,
Vel Stellae cantata meo, quam fleuit Hiantis,
Cuius in Elyſio nigra columba volat.

pro aue qnoq. Martialis Epigrammate 154. libro primo Catulli paſſerem, cuius de mira feſtiuitate Catullus ſcripſerat, intellexit Publij Catellam hendecaſyllabis exornans.

Iſta eſt paſſere nequior Catulli,
Iſta eſt purior oſculo columbae,
Iſta eſt blandior omnibus puellis,
Iſta eſt carior Indicis lapillis,
Iſta eſt deliciae Catella Publi.

alacritatem, & blandicias Catellae Publij ante ponit Catulliano paſſeri, quem Lesbia aluerat, atq. in delicijs habuerat. Catulli autem paſſerem appellat vbiq. quod de eius paſſeris laudibus tam multa, tamq. admiranda Catullus compoſuiſſet. Nihil igitur erat, quamobrem Turnebus diceret Symbolum Veneris eſſe paſſeres, cuius currum traherent. idq. ſpectaſſe Catullum, neq. proprie locutum. Ex ijs, quae in medium protuli, liquere iam arbitror, quid ſibi voluerit Martialis quotieſcumq. Catulli paſſerem nominat. neq. ob id aliunde quam ex ipſo Martiale Martialis explicationem petiui. Reliquum eſt vt Carrionis ſententiam expendamus. is enim libro emendationum primo capite octauo Martialis Hendecaſyllabos extremos epigrammate octauo ad Silium libro quarto producit.


Nec torua lege fronte, ſed remiſſa
Laſciuis madidos iocis libellos.
Sic forſan tener auſus eſt Catullus
Magno mittere paſſerem Maroni.

& paſſeris appellatione non hendecaſyllabos de paſſere tantum, ſed volumen epigrammatum vniuerſum venire arbitratur, quod Princeps ſit Epigramma in paſſerem, & inde factum ſit totius operis initium. quodq. obijci poſſet, argumentum diluere conatur. epigramma enim ad Cornelium Nepotem, quod ſit dedicatorium, non in operis corpore, ſed extra ordinem eſſe vult; vt cauſae ſuae inſeruiat. Ego vero pro

passere

paſſere hendecaſyllabos Catulli in paſſerem lesbiae compoſitum, vt pro Stellae columba carmen Stellae de Columba Violantillae conſcriptum accipio. leue illud, & nugatorium reor a principe cuiuſuis operis dictione vniuerſum opus appellationem trahere.licet hoc more in legibus, & paragraphis allegandis vtamur. Vtq. hoc detur,ecquis Carrioni a mortuis excitatus Catullum epigrammata ſua eo ipſo ordine digeſsiſſe rettulit? Ecqs teſtatur a paſſere initium feciſſe operis ſui Catullus?ecqs poſt mille & ſexcentos ꝓpe annos perueniſſe ad nos omnia Catulli opera, eodemq. numero, & ordine opinatur?atqui nemo negarit,millies deſcripta fuiſſe Catulli epigrammata,& pro librariorum libidine,& inſcitia multa perperam exſcripta,non nulla luxata,& transpoſita,omiſſa quaedam,& temporum iniuria etiam amiſſa. His igitur de cauſis aliter,atq. Carrio putauit, accipiendus eſt Martialis,qui cum Silio viro conſulari poetae ſummo,qui libellos ſuos iocis,& ſalibus refertos traderet,facere ſe dixit,exemplo Catulli,quem Vergilio Hendecaſyllabos de paſſere ſuos legendos miſiſſe autumat, quamuis in hoc Martialem temporum ratio fugerit. multis enim argumentis oſtendi poteſt Catullum Romae floruiſſe, atq. deceſſiſſe, cum adhuc puer eſſet Vergilius. ſed hiſtoriae fidem non requirit poeſis. Animaduerti autem Carrionem a Palladio Catulli interprete accepiſſe paſſerem vniuerſo Catulli operi nomen feciſſe. eius haec ſunt verba. *Verum cum omnia ſua ſcripta in vnum opus contraxiſſet, illudq. iam emiſſurus eſſet,a deploratione mortui paſſerculi, qui in delicijs Clodiae erat,paſſerem appellauit.* Vides ex quo fonte Carrio hãc de paſſere Catulliano ſententiam deriuarit. mera Palladij ſomnia ecquis non derideat? ecquis Carrionis nugas aliundę petitas non exſibilet? Verum eſto Catulli epigrammata paſſeris nomine cõtineantur. quid Lyrica,quid elegiae,quid denique Epithalamium Manlij,& carmen de nuptijs Pelei,& Thetidis Heroicum flagitabit? inter leuia cõnumerabis,quae Maronianae Maieſtati opponi poſſunt,atq.adeo,vnde multa Vergilius in Aeneida tranſtuliſſe perhibetur.Sed finis ſit.

In C.Caeſaris Commentarijs vulgata lectio confirmata Carrionis reiecta emendatione,& de Labieno legato PRO P.R. ſententia exploſa. Caput VIII.



Anuſcriptis libris nimium tribuit Lud.Carrio, & Codices veteres eſſe oracula opinatur. atq. in eo fallitur ſaepenumero. quippe qui errata ſcriptorum librariorum non videt, iiſq. vtitur ad deprauandos auctorum locos,quodque grauius eſt manuſcriptos omnes aeque antiquos putat, licet paulo ſupra centum annos deſcripti ſint. Carrionem

rionem item temporum,& morum immutatorum ratio fugit.Hinc fit vt conſuetudinum variatarum minus accuratus obſeruator plerumq. decipiatur.Vtrumq. facile cuiuis probabo vel hoc vno Caeſaris loco a Carrione ex manuſcripto libro, & aetatum inobſeruatione deprauato.Is.n.libro Antiquarum lectionũ tertio,capite ſeptimo Legatum Propret. apud Caeſarem legendum eſſe contendit,vbi in libris caſtigatioribus legatum propere,eſt legere. Caeſar libro de bello Gallico primo ſic ſcribit. *De tertia vigilia T.Labienum legatum propere cum duabus legionibus,& ijs ducibus,qui iter cognouerant, ſummum iugum montis aſcendere iubet,quid ſui conſilij ſit,*oſtendit. ſic in vulgatis fere omnibus,atq. adeo emendatioribus. Lud.vero Carrio aduerbium propere tollit, & in eius locum propraet. ſubrogat,'quod ita ſit in vetuſtioribus editionibus,& manuſcriptis. Carrioni affirmanti ita eſſe in vetuſtioribus quid ni credam, cum ſit apud me Caeſaris liber anno M. ccccIxxx. Taruiſij impreſſus,qui Carrioni aſtipulatur.Ego ſi libris vetuſtioribus fidem habendam vſquequaq. putarem, domi haberem, quo auctore T. Labienum legatum Propraetorem cum Carrione legerem.Verum apud me tanti non eſt librorum auctoritas, vt errata librariorum ſequi malim, quam ex veſtigijs mendarum indagare veram ſcripturam. Nam facile fuit expropere per compendium fortaſſe ſic ſcriptum prop. vt quiſpiam ſciolus propraetorem fecerit. cur ſic ſentiam nullo negotio docebo. primum res de qua agitur in Caeſaris commentarijs poſtulat, vt quam celerrime legatus cum legionibus mittatur.ſic enim ſupra Caeſar ſcripſerat.*Eodem die ab exploratoribus certior factus,hoſtes ſub monte conſediſſe millia paſſuum ab ipſius caſtris octo,qualis eſſet natura montis,& qualis in circuitu aſcenſus,qui cognoſcerent, miſit* Renuntiatum eſt facilem eſſe.haec in Caeſare. vides fuiſſe maturandum,vt ante lucem legatus cum copijs tantum itineris paucis horis conficeret, & in ſummum montis iugo praeſidium collocaret. quod factam fuiſſe infra ſcribit Caeſar.*Prima luce cum ſummus mons a T. Labieno teneretur,ipſe ab hoſtium caſtris non longius mille,& quingentis paſsibus abeſſet,& c.*quis non iudicet feſtinatione opus fuiſse ad eam rem. quare legatus propere legiones ducere,montem aſcendere,& iugum occupare iuſſus eſt.

Deinde neminem ex legatis, quos Caeſar nominat, Propraetoris nomine affectum apud Caeſarem legimus, quodq. librariorum erratum arguit,& Carrionem admonere poterat,ſi cum cura legiſset,vbicumq. T. labienus legatus appellatur, Propraetoris nomen in vetuſtioribus impreſsis,& calamo exaratis, & in meo reticetur. libro ſecundo T. *labienum legatum cum legionibus tribus ſubſequi iuſsit.* libro tertio *T. labienum legatum in Treuiros,qui proximi Rheno flu-*

mini

mini sunt,cum equitatu mittit. libro quincto T. *labienum legatum cum ijs legionibus,quas ex Britannia reduxerat,in Morinos, qui rebellionem fecerant,misit.* Cum igitur neq. reliqui legati Propraetores, neque ipse Labienus vsquam legatus Propræt. appelletur, continuo sequitur, vt primi libri locus mendosus sit, proq. Propraet. propere aduerbium reponendum, quo festinatio, & celeritas repraesentetur. Nunc venio, vt ostendam Carrionem consuetudinum pro temporum commutatione ignarum frustra pugnare, vt labienus legatus Propr. sit, quod ita in vetustissimis inscriptionibus obseruetur. Numismata, & lapides testes omni exceptione maiores ad sententiam suam confirmandam adhibet. quibus in ipsis legatum Propraetorem est legere. frustra es Carrio. temporum ratio, vt dixi, te fugit. Vteris testibus ad eam rem minus idoneis. numismata, quae laudas longe post Caesaris memoriam sunt cusa, inscriptiones item multis post saeculis incisae. Non enim ante Augustorum tempora tale quid aut factum, aut scriptum inuenies. post reipublicae occasum multa sunt commutata, pleraq. addita, & inuecta quae non erant. Republica incolumi, & Caesare in Gallia bellum gerente legatus legioni praerat, neq. praeterea alio titulo aut munere fungebatur. Historicos latinos, graecosq. consule. legatos Propr. nullos reperies. At in plerisq. monumentis veteribus, inquies, aliter se res habet. respõdeo ea omnia sub Imperatoribus esse vel cusa, vel incisa. nam appellationes huiusmodi honorum, & administrationum erant, & legati Propr. sub Imp. prouincias. administrabãt quoq. ex inscriptionibus, & nummis a te productis intelligere poteras, si rem attentius examinasses. At T. Labienus legatus in exercitu Caesaris prouinciam non obtinebat, vt in istis inscriptionibus tuis Legati Propr. prouincias administrabant,

LEG. PROPR. PROV. AFRIC. &
LEG. PROPR. PROV. ASIAE.

vides nihil tale fuisse ante Augusti aetatem excogitatũ. Pergit Carrio, & actum agit, sublata enim quae fuisse a Fuluio Vrsino ex fide Vaticani Codicis ipse testatur, inculcat, sed omittit per imprudentiam, opinor, quae in recentioribus, & vetustioribus libris habentur. (*cum familiaribus suis*) *commune periculum miserabantur*. tria illa verba quae sunt in omnibus libris in hoc vno Carrionis libro Antiquarum lectionum desiderantur. At Lugdunensis editio cum Fuluij Vrsini emendationibus anno MDLXXVI. scripturam veteris libri mei refert. sic enim in meo Caesaris de bello Gallico libro primo. *Hic primum ortus est timor a Tribunis militum, ac praefectis, reliquisq qui ex Vrbe amicitiae causa secuti Caesarem non magnum in re militari vsum habebant, quorum alius alia causa illata, quam sibi ad proficiscendum*

necessa-

necessariam diceret. petebat. vt eius voluntate discedere liceret. non nulli pudore adducti, vt timoris suspicionem vitarent, remanebant, ij neq; vultum fingere, neq. interdum lacrymas tenere poterãt. abditi in tabernaculis aut suum fatum querebantur, aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur. haec Caesar. & omnino abesse nõ possunt tria illa verba (*cum familiaribus suis*) alioqui non esset periculum commune, quòd miserabantur. Mirũ autem in modum miror. residere adhuc mendum in Manutianis editionibus, & non esse sublata quinq. illa verba, quae neq. in Vaticano Codice, neq. in Lugdunensi editione, neq. in meo vetustissimo leguntur, (*non magnum periculum miserabantur, quod*) quae Fuluius Vrsinus in suis emendationibus sustulit, licet in suo vetere libro haberentur, cuius scripturam non approbat, idq. merito. nam praeter quam quod paulo infra suo loco repetuntur (*cum familiaribus suis commune periculum miserabantur*) non videntur conuenire cum superioribus, vbi multa de virtute Germanorum a Gallis, & mercatoribus praedicantur cum summo totius exercitus Romani timore. Haec igitur summouenda, illa vero retinenda censeo.

Frigida potione, & ad aquam refrigerandam niue, & glacie Veteres Romanos vsos Senecae & Tranquilli loca a Lipsio perperam accepta. Caput IX.


POTVISSEM de gelido priscorum potu, quae apud grauissimos auctores interlegendum, vt fit, adnotaram, de scribendi labore supersedere, & vero etiam libentissime fecissem, ne seculi nostri luxuriam incitare viderer. quod enim exemplo fit, iure id fieri putatur. Sed quando à Iusto Lipsio viro eruditissimo de calida potione veterum Scriptorum Sententiae in medium prolatae occasionem quibusdam libros super eiusdem rei vsu, vtilitate, ac voluptate conscribendi, frigidaeq. potionis dãnandae praebuerũt, faciendũ mihi putaui, vt aliquando id conuellerem, & docerem aliter se rem habere, ac pleriq. opinantur. Nicolaus enim Masinus Caesenas Medicus in sua praefatione de gelidi pot⁹ abusu scribit nostra aetate percrebuisse nimis gelide bibendi consuetudinem, quae quoniam ante priscorum Medicorũ tempora nõ fuisse sibi videatur, ea de re mĩnus veteres medicos scripsisse, laudat praeterea Veterum sobrietatem ignarus omnino eorum temporum. Quamobrem nisi ostendero Veteres gelida vsos, aquamq. gelidiorem per exquisita cõmẽta & artificia redditam bibisse, niuemq. ad id adhibitam, & glaciem, niuisq.

taber-

tabernas, & officinas fuisse, ac sanis quidem corporibus per aestiuos calores non insalubrem esse gelidae potionem, non recuso, quin operam literis tot annos frustra dedisse exstimer.

A Seneca initium ducatur, per quem probabimus delicatos aquam calidam abhorruisse, frigidam vero niue, & glacie super additis impense ad amasse, aegrisq. non temere permissam epist. 78.

O infelicem, inquit, aegrum, quare? quia non vino niuē diluit, quia non rigorem potionis suae, quam capaci scypho miscuit, renouat fracta insuper glacie. & paulo infra. Sed omnia ista facile perferemus, sorbitionem, aquam calidam, & quid quid intolerabile videtur delicatis, & luxu fluentibus, magisq. animo quam corpore morbidis. Et libro 2. de beneficijs cap. *54. Vt frigidam aegris negamus. idem epist. 95. aeque niuem rodūt solatium stomachi aestuantis.* idem epist. *119 Sitio*, inquit, *vtrum haec aqua sit ex lacu proximo excerpta, an ea quam multa niue clusero. vt rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet, illa hoc vnum iubet sitim extingui.* Sed vbiq. Seneca, vt Stoicum decet, delicias, & luxum exagitat, Et lib. de Ira secundo cap. 25. scribit insani esse furenter irasci seruo, quod ministeria negligentius obeat, quod minus recentem, & minus frigidam aquam praebuerit. *Parum inquit agilis est puer, aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus torus, aut mensa negligentius posita, ad ista concitari insania est.* Lipsius calidae nimis studiosus, etiam quae ad rem minus faciunt, coaceruat, nec Senecam capit. Explicemus locum. Tepidior aqua non est minus calida, & quae deferbuit, vt Lipsius opinatur, sed minus gelida, & quae rigorē, frigusq. remiserat, vnde vel niue iam liquefacta, vel non ita recens ex fonte, puteoue hausta sed aestiuo calori exposita facile tepidior fit, quod autem sit haec Senecae mens, docet ipsemet eodem capite extremo; *perpetietur, inquit, hic famem, & aestiuae expeditionis sitim, qui puero male*, diluenti niuem irascitur. haec ille, quae non ad minus feruentem, sed ad minus frigidam potionem pertinent. quod autem tepidiorem fieri, sit incalescere ex ipso Seneca doceo, qui lib. quaest. naturalium quarto extremo sic.

Videbis, inquam, quosdam, graciles, & palliolo, focaliq. circundatos pallentes, & aegros non sorbere solum niuem, sed etiam esse, & frustra eius in scyphos suos deÿcere, ne inter ipsam bibendi moram tepescant.

Hinc vides tepescere esse calefieri non refrigerari, eodem sensu accipiendum, quod Ouid. lib. de Ponto tertio elegia quarta scribit.

Illa bibit sitiens lector, mea pocula plenus.
Illa recens pota est, nostra tepebit aqua.

Item Martialis eodem sensu dixit

Me conuiua petet misto quin cunce, sed ante,
Incipiat positus quam tepuisse calix.

Nec minus absurdum est, quod Lipsius eodem capite lib. Elector. primi de Tiberio Claudio Nerone appinxit, quem Suetonius commutatis litteris *Biberium Caldium Meronem* à quibusdam per iocũ vocitatum scriptum reliquit. Nam si a calidae potu Caldius, vt Lipsius opinatur, dictus est, iniuria Mero appellaretur, qui vel abstemius esset, si calida tantum aqua uteretur, vel si calidam vino infunderet, non esset meri auidus. repugnant omnino haec calida, & merum; mistum verius dixeris. Quanto rectius ad meracissimi, & ardentis vini, quo ebrij incalescunt vim, festiuum dictum retuleris. Sic enim in Tiberio Suetonius ca. 42. *in castris tiro etiamtum propter nimiam vini auiditatem pro Tiberio Biberius, pro Claudio Caldius, pro Nerone Mero uocabatur*. vides ad vini meri non misti frequentiorem potum, & effectum respexisse eos, qui in Tiberium scomma coniecerunt. Catullus quoq. iusso ministro merum sibi frequentius infundere aquã hẽdecasyllabis detestatur. *At vos quo lubet hinc abite lymphae Vini pernicies & ad seueros Migrate, hic merus est Thyonianus.* Plin. quoq. mihi assentitur de Tiberio vinoso. sic enim lib. 14. cap. extremo de vitanda ebrietate. *Sed inquit, ipsa iuuenta ad merum pronior fuerat. eademque commendatione credidere L. Pisonem vrbis Romae Curatorem ab eo delectum, quod biduo, duabusq. noctibus perpotationem continuasset apud ipsum iam Principem. Nec alio magis Drusus Caesar regenerasse patrem Tiberium ferebatur.* Redeo ad Senecam qui acriter in huiusmodi luxum inuectus, quid fieret sua memoria, & quamobrem media etiam hieme niuem glaciemq. ad potum adhiberent luxuriosi, declarat his verbis, quae quoniam ad bonam frugẽ pertinent, non grauate adscripsi. *Vnde inquit, ad hoc peruentum sit vt nulla nobis aqua satis frigida videretur, quae flueret, dicam. Quam diu Sanus, & salubris cibi capax stomachus est, impleturq. nõ premitur, naturalibus fomentis contentus est. Vbi quotidianis cruditatibus non temporis aestus, sed suos sentit. vbi ebrietas continua visceribus insedit, & praecordia bile, in quam vertitur, torret, aliquid necessario quaeritur, quo aestus ille frangatur, qui ipsis aquis incalescit; remedijs incitat vitium. Itaq. non aestate tantum, sed & media hieme niuem hac causa bibit. Quae huius rei causa est, nisi intestinum malum, & luxu corrupta praecordia, quibus nullum interuallũ vnquam quo interquiescerent, datum est, sed prandia, caenisq. vsque in lucem perductis ingesta sunt, & distentos copia ferculorum ac varietate, commessatio altius mersit? Deinde nunquam intermissa intẽperantia, quid quid ante decoxerat, efferauit, & in desiderium semper*

noui rigoris accendit. itaq. quamuis caenationem velis, ac speculariribus muniant, & igne multo doment hiemem, nihilominus stomachus ille solutus, & aestu suo languidus, quaerit aliud, quo erigatur. Nam sicut animo relictos, stupentesq. frigida spargimus, vt ad sensu sui redeant, ita viscera istorum vitijs torpentia nihil sentiunt, nisi frigore illa vehementiore perusseris. Inde est inquam, quod nec niue quidem contenti sunt, sed glaciem, velut certior illi ex solido rigor sit, exquirunt, ac saepe repetitis aquis diluunt, quare non e summo tollitur sed vt vini maiorem habeat, & pertinacius frigus, ex abdito effoditur, itaq. nec vnum quidem eius est pretium, sed habet institores aqua, & annonam pro pudor variam. Vnguentarios Lacedemonij urbe expulerunt, & propere cedere finibus suis iusserunt, quia oleum disperderet. Quid illi fecissent, si vidissent reponendae niuis officinas, & tot iumenta portandae aquae deseruientia cuius colorem, saporemque paleis, quibus custodiunt, inquinant? At dij boni, quam facile est extinguere sitim sanam; sed quid sentire possunt emortuae fauces, & occallatae cibis ardentibus? Quemadmodum nihil illis satis frigidum, sic nihil satis calidum est: Sed ardentes boletos, & raptim condimento suo mersatos, demittunt pene fumantes, quos deinde restinguant niuatis potionibus. Videbis inquam, quosdam graciles, & palliolo, focaliq. circundatos, pallentes & aegros, non sorbere solum niuem, sed etiam esse, & frustra eius in scyphos suos deijcere, ne inter ipsam bibendi moram tepescant. Sitim istam esse putas? febris est, & quidem eo acrior, quod non tactu venarum, nec in cutem effuso calore deprehenditur. Sed cor ipsum excoquit luxuria, inuictum malum, & ex molli, fluidoq. durum atque patiens. Non intelligis omnia consuetudine vim suam perdere? Itaq. nix ista, in qua etiamnum natatis, eo peruenit vsu, & quotidiana stomachi seruitute, vt aquae locum obtineat. Aliquid adhuc quaerite illa frigidius, quia pro nihilo est familiaris rigor. Haec Seneca in sui temporis luxuriam inuectus luculenter disseruit. Vbi nunc isti sunt, qui negant niuis vsum antiquis Romanis fuisse aeque ac nostro saeculo, quiq. de nouis morbis inde proficiscentibus, qui veteres medicos fugissent, temere conqueruntur. Vetus est ista querella. Audi Senecam Epistola 95. ad Lucilium, qui feminas quoq. suae memoriae ijsdem vitijs, quibus & viri obnoxij essent, laborasse testatur. *Maximus, inquit, ille medicorum, & huius scientiae conditor feminis, nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atqui hae iam & capillis destituuntur, & pedibus aegrae sunt. Mon mutata feminarum natura, sed vita est. Nam cum virorum licentiam aequauerunt, corporum quoq. virilium vitia aequauerunt. Non minus peruigilant, nō minus potant, & oleo, & mero viros prouocant. Aeque inuitis ingesta*

vifceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiantur. aquae niuem rodunt folatium ftomachi aeftuantis. Quid ergo mirandum est, maximum medicorum, ac naturae peritiffimum in mendacio prehendi, cum tot feminae podagricae, caluaeq; fint beneficium fexus fui vitijs perdiderunt, & quia feminam exuerunt, damnatae funt morbis virilibus.

Accedat Plinius qui de Niue, & glacie in potionem adhibita diferte fcribit deteftans & ipfe impenfam ea in re, & luxuriam fuorum temporum. Quorfum pertinuit ea recenfere, & reprehendere, fi maior voluptas ex feruenti potione per aeftum percipi folita effet. Is lib. 19. naturalis hiftoriae cap. 4. *Aquae quoq; inquit feparantur; & ipfa naturae elementa vi pecuniae* difcreta funt. *Hi niues, illi glaciem potant, poenasque montium in voluptatem gulae vertunt. Seruatur algor aeftibus. excogitaturq; vt alienis mẽfibus nix algeat. Decoquũt alij aquas mox & illas hiemant. &c.* & lib. 31. c. 3. *Nam vt tactu gelida fit, etiã arte contingit, fi etiam expreffa in altum aut, e fublimi deiecta verberatu corripiat aera, in natando quidem fpiritum continentibus frigidior fentitur eadem. Neronis Principis inuentum eft decoquere aquam uitroq; demiffam in niues refrigerare, ita voluptas frigoris contingit fine vitijs niuis. omnem vtiq; decoctam vtiliorem effe conuenit, item calefactam magis refrigerari fubtiliffimo* inuento. & lib. 36 cap. 1 *Huc illucq; portãtur iuga montium maiore etiam num vefania, quã cum ad frigidos potus uas petitur in nubila, caeloq; proximae rupes cauantur vt bibatur glacie. fequatur Martialis in apo phoretis.*

Non potare niuem, fed aquam potare rigentem
De niue commenta eft ingeniofa fitis.

& 116.

Spoletina bibis, vel Marfis condita cellis,
Quo tibi decoctae nobile frigus aquae?

& 118.

Maffiliae fumos mifcere niualibus vndis.
Parce puer, conftet ne tibi pluris aqua.

& lib. 5. Epig. 65.

Sextantes, Callifte duos infunde falerni,
Tu fuper aeftiuas Alcime funde niues.

& lib. 6. Epig. 85.

Setinum, dominaeq; niues denfiq; trientes,
Quando ego vos medico non prohibente bibam?
Stultus, & inigratus, nec tanto munere dignus,
Qui mauult haeres diuitis effe Midae,
Poffideat lybicas mefses, Hermumq; Tagumq;

Et

Et potet calidam, qui mihi laudat, aquam.

Plutarchus quaeſtionum conuiualiũ libro ſexto capite quarto docet, cur aqua e puteo hauſta, & in ipſo putei aere per noctem ſuſpenſa gelidior recente fiat, exemploq. vtitur aquae eius, quae prius decocta, & deinde magno niuis cumulo circumdata rigorem contrahit maiorem, qualem Imperatoribus comparabant. & capite 5. quaerit cur calculi, & laminae plumbeae in aquam coniectae, gelidiorem eam efficiant. Cornelius quoq. Celſus de re medica libro primo capite tertio frigidae vſum quibuſdam eripit his verbis. *Illud quoq. noſſe oportet quod ex labore ſudanti frigida potio pernicioſiſſima eſt atq. etiam cum ſudor ſe remiſit itinere fatigatis inutilis,* capite autem *ſecundo etiam imbecilli ſtomacho permittit his verbis. Vbi expletus eſt aliquis, facilius cõcoquit, ſi quidquid aſſumpſit, potione aquae frigidae includit.* Quamobrem mirari Satis non poſsum, qui fiat, vt quidam ſibi perſuaſerint feruentem aquam vino mixtam vel media aeſtate potare ſalubrius iucundiuſq: eſse omnino contra quã temporis, valetudinis, & naturae ratio poſtulat. Naturalis autem potus eſt aquae hauſtus ex fonte riuo, lacu, & flumine, vt eſt apud Vergil. eclog. v.

Quale ſopor feſsis in gramine, quale per aeſtum
Dulcis aquae ſaliente ſitim reſtinguere riuo

Claudianus Praefatione in ſextum Honorij conſulatum aegros gelidae aquae tãta cupiditate teneri ſcribit, vt per quietem ſibi videantur e fonte aquam haurire.

Blandaq. largitur fuſtra ſitientibus aegris
Irriguus gelido pocula fonte ſopor.

Quorſum fontem praedij ſui Horatius lib. 1. Epiſt. 16. a frigiditate perſpicuitate, & ſalubritate commendat?

Fons etiam riuo dare nomen idoneus, vt nec
Frigidior Thracam, nec purior ambiat Hebrum,
Infirmo capiti fluit vtilis, vtilis aluo.

fruſtra frigus in fonte laudet, ſi hauſtam inde aquam igni calefactam potet. Nugae iſtae, nugae, inquam, mihi certe nnnquam perſuaſerint fuiſse priſcis Romanis aliud palatum, atq. nobis eſt. Redeo ad Horatium, qui ode 13. lib. 3. ſic.

O fons Blãduſiae ſplendidior vitro
Dulci digne mero.

Nunquam in eo laudando frigus, & puritatem nomitatim extuliſset, niſi & pecori, & hominibus gelida ex eo aqua vſui ad reſtinguendam ſitim aeſtiuis menſibus fuiſset. pergit enim.

Te flagrantis atrox hora Caniculae
Neſcit tangere, tu frigus amabile

Feſsis

Feffis vomere tauris
Praebes,& pecori vago.

Et Ode vndecima.

Cur non fub alta vel platano, vel hac
Pinu iacentes fic temere, & rofa
Canos odorati capillos
Dum licet, Afsyriaq. nardo,
Potamus vnctis?difsipat Eubyus
Curas edaces. quis puer Ocius
Reftinguet ardentis falerni
Pocula praetereunte lympha?

Quid hoc apertius?quaeritur aqua frigida ad vini generofi reprimẽdum ardorem, merumq. diluendum, quo refpexit Maro Georg. 1.

Poculaq. inuentis Acheloia mifcuit vuis.

nunquam profecto grauiffimi fcriptores frigidam aquam commendafsent, nifi frigida efsent vfi. Plinius lib. 31. cap. 3. *Clarifsima, inquit, aquarum omnium toto orbe frigoris, falubritatisq. palma, praeconio Vrbis Martia eft inter reliqua Deum munere Vrbi tributa.*

Sed & frigidam hauftam eodem Plinio tefte conuincam. fic enim paulo infra, vbi confert aquam Virginem cum Martia, *Horum inquit omnium comparatione, differentia fupradicta deprenditur, cum quantum Virgo tactu, tantum praeftet Martia hauftu.* haec ille. nemini iam dubium efse opinor, quin Romae ante mille & quingentos annos frigida vterentur. Ante vero vrbem conditam exteris quoq. nationibus gratam accidifse aquam frigidam, & niuem conftat. Prouerbiorum cap. 25. haec habentur, *Sicut frigus niuis in die mesfis, ita legatus fidelis ei, qui miferit eum, animam ipfius requiefcere facit,* & eodem extremo. *Aqua frigida animae fitienti, & nuntius bonus de terra longinqua.* Hactenus de frigidae frequenti apud veteres vfu deq. niue, & glacie ad potiones refrigerandas comparata fatis multa recitauimus, reliquum efset, vt diceremus non efse frigidae potionem adeo infalubrem, vt ifti criminãtur, verum ne modum fcriptio excedat, lectores ad Galeni medicinae peritiffimi libros reijcimus; atque monemus non ex frigida plerunque morbos oriri, fed ex varijs multiplicibufq. ferculis, & cruditate morbos varios, multiplicesque cum fiti, & frigidae appetentia nafci. quod Seneca varijs locis teftatur;.

Luftrum

Lustrum quinque annorum spatium
Antonio, Constantio, & Nebrissensi, Marcoque Vetrannio, de quadriennali lustro confutatis
Locus Ouidij expensus, & illustratus, item Plinij. Caput X.



VOT lustrum annis constaret, non satis inter recentiores constat. Sunt qui per lustrum annos quinque significari arbitrentur, nec desunt qui quattuor annis lustrum confici opinentur. Ego priorem, & veriorem sententiam tot saeculis per manus poene traditam, vsu antiquorum auctorum, explanatione veterum interpretum, priscorumq. monumentorũ fide confirmabo, & lustrum quinquẽnale spatium fuisse, & per lustra a poetis significata esse quinquennia docebo. Quorundam vero Nebrissensi de quadriennali lustro assentientium pertinacia factum est, vt quae breuiter aduersus illum superioribus annis edidi, eadem fusius accuratiusq. rursus pertractarem. M. Varro libro de lingua latina v. *Lustrum, inquit, nominatum tempus quinquennale, a luendo, hoc est soluendo, quod quincto quoque anno vectigalia, & vltro tributa per Censores persoluebantur.* Festus, *& cum eiusdem, inquit, vocabuli prima syllaba producitur, significat nunc tempus quinquennale, nunc Populi lustrationem.* Titus quoq. Liuius libro primo tradit Lustrum a Seruio Tullio Rege institutum, eoq. lustro millia Ciuium octuaginta censa, lustrumq. conditum appellatum dicit, quod post censam Ciuitatem exercitus omnis in Campo Martio sue, oue, Taurilibus ab eodem Rege fuerit lustratus. Inde vero factum est, vt lustrum pro quinquennio passim vsurparetur. Quod cum censendae Ciuitatis, lustriq. condendi munus deinceps ad Censores peruenisset, Censorum potestas quincto anno absoluebatur, & ab ijsdem Lustrum quincto anno fiebat, quo peracto, & ipsi magistratu abibant. Quod autem quinquennio absoluto lustrum conderetur, & in quinquennij supputatione nulla omnino proximi superioris lustri ratio haberetur neq. quinctus annus finis vnius, & principium alterius lustri fuerit, testes locupletissimi sunt Fasti Capitolini, in quibus post exactum lustrũ superius, digesti sunt anni, primus, secundus, tertius, quartus, & quinctus sequentis lustri. Vnde aliquot continuata lustra sententiae meae firmandae causa infra subijciam; si prius auctorum locos, vt pollicitus sum, ordine recensuero. Horatius libro carminum secũdo ode quarta.

Cuius octauum trepidauit aetas
Claudere lustrum.

Ad quem locum vetus interpres, *significat, inquit, se esse quadragenarium*

rium per octo quinquennia. Idem Porph. *quadraginta aetatis, inquit annos se excessisse ostendit. octo enim lustra octo quinquennia quadraginta annos claudunt.*
Et ode prima libro quarto.

Circa lustra decem flectere mollibus
Iam dudum Imperijs.

ibidem vetus interpres, *iam propedum lustris decem, hoc est quinquaginta annis grauis, maturus, & ab omni voluptate alienus,* & Porph. *prope annos quinquaginta aetatis iam se dicit agere,* & ode XIV. lib. IV

Fortuna lustro prospera tertio.
Belli secundos reddidit exitus,
Nam tibi quo die, &c.

Ibi Porph. ita *euenit, inquit, vt post annos XV. Drusus eo die Rhetos, Vindelicosq. vinceret, quo die Augustus Alexandriam vinceret.*
Vergilius libro Aeneidos primo.

- - - - - veniet lustris labentibus annis.

ibi Seruius *Lustris, inquit. quinquennijs, & bene Olympiadibus computat tempora, quia non dum erat, vel Roma, vel Consules. Lustrum autem dictum, quod post quinquennium vnaquaeq. Ciuitas lustrabatur.*
Ouidius lib. Fastorum secundo.

Iam tria lustra puer furto conceptus agebat.

Loquitur de Arcade, qui annum aetatis suae decimum quinctum agebat, si quidem per tria lustra quindecim anni sunt accipiendi. Quod vt ita omnino accipiamus, atq. ita interpretemur, deq. aduersariorũ aliter sentientium victoriam referamus, idem ipse Ouidius auctor est libro Metamorphoseos secundo duobus his versibus.

Ecce Lycaoniae proles ignara parentis
Arcas adest, ter quinq. ferens natalibus annos.

Hic quindecim annos natum Arcada fuisse per ter quinq. natales aeq. atq. illic per tria lustra dixerat, apertius explicat, seq ipse interpretatur. idem libro fastorum tertio, vbi agit de Romuli anno, qui decem tantum mensibus constabat, sic scripsit.

Ergo animi indociles, & *adbuc ratione carentes*
Mensibus egerunt lustra minora decem.

nihil ad hanc rem patefaciendam aptius fieri potuit. Cum enim Romulus decem mensibus annum constituisset lustrum quoq. decem mensibus minus, quam postea fuit institutum, videbatur. Hinc igitur fit, vt lustro quinque anni, non quattuor fuerint. aliter si accipiatur, neque Ouidius capi potest, neq. ratio constat. Annus enim, cui decem tantum menses attributi essent, quinquies reductus quinquaginta mẽses

ses quinquennio peracto conficiebãt. Annus vero per duodecim menses quinquies reuolutus quinquennium sexaginta mensibus absoluit. minus ergo decem mensibus lustrum, seu quinquennium Romuli quod menses quinquaginta contineret, quam lustrum Seruij Tullij, quod sexaginta menses duodecim mensibus numeratis complecteretur. Quod cum ita sit, necessario sequitur, vt totos quinq. annos lustrum contineret. eorum igitur opinio explodẽda est, qui lustro quattuor annos fuisse comminiscuntur. Papinius Statius libro Siluarum tertio ad Claudiã vxorem, quam vel ipsa Penelope castiorem dicit, quae viginti annos per quattuor lustra denotatos Vlysse caruit.

- - - - - - & si ego me Patrio delitore raptus
Quatuor emeritis per bella per aequora lustris
Errarem, tu mille procos intacta fugares,
Non inter textas commenta retexere telas.
Sed sine fraude, palam, thalamosq. armata negasses.

Vides quinquies multiplicatis quattuor lustris viginti annos esse, quo temporis spatio Vlysses ab Vxore desideratus est. decem enim annos bello Troiano distentus, totidem nauigatione distractus domo abfuisse narratur. quis igitur singulis lustris quaternos annos imputauerit? Martialis libro primo de Demetrio puero amanuensi aegrotãte, ac moriente manumisso.

Illa manus quondam studiorum fida meorum
Et felix dominis, notaq. Caesaribus,
Destituit primos virides Demetrius annos,
Quarta tribus lustris addita messis erat.
Ne tamen ad stygias famulus descenderet vmbras,
Vreret implicitum cum scelerata lues,
Cauimus, & domini ius omne remisimus aegro,
Munere dignus erat conualuisse meo.
Sensit deficiens, sua praemia, meq. patronum
Dixit ad infernas liber iturus aquas.

Huius epigramatis, quod totum propter eius elegantiam & antiquitatis cognitionem adscripsi, quartus versus aduersariorum errorẽ plane arguit, vbi de Demetrii aetate agitur. Nam cum quarta messis idest quartus annus tribus lustris accesisse dicatur, continuo sequitur lustrum non ex quattuor annis constare. si enim quadriennio lustrũ absolueretur, non tria lustra, sed quattuor dici debuissent aetatis Demetrii, qui decessit tertio exacto lustro, & quarti lustri quarto anno, idest vndevigesimo, seu decimo nono. idem libro decimo Hendecasyllabo ad Calenum tria lustra, quindecim annos absoluere ostendit cum quindecim annorum spatium, quo vixerat Galenus cum Sulpicia vxore bifariam extulit.

Ex Vetrannio quaererem, vtrum Ouidium memoria lapſum, an pugnantia dicere, & ſibi aduerſari exiſtimet, ſi hoc Ouidius euincit, vt luſtrum non ſit quinquennale tempus. Ego vero illum & memoria tenere, quae de luſtro quinquennali ſuperius dixerat, & ſibi conſtare arbitror. cur igitur inquies, intercalationem luſtri nomine cenſuit? Aliud, inquam, vocabulum commodius non habuit, licet improprie locutus ſit, neq; quidquam excogitari potuit accommodatius ad tempus, quo id fit. quincto enim anno intercalatur, vt praeter ceteros Plinius lib. 2. cap. 8. ſcribit his verbis. *deinde, inquit, ſolis meatum eſſe partium quidem trecentarum ſexaginta, ſed vt obſeruatio vmbrarum eius redeat ad notas, quinis annis dies adijci, ſuperq. quartam partem diei. quam ob cauſam quincto anno vnus intercalaris dies additur, vt temporis ratio ſolis itineri congruat.* eadem ratione opinor, luſtrum cum Olympiade coniunxit lib. 4. de Ponto Ouid. eleg. VI.

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta eſt
Iam tempus luſtri tranſit in alterius.

Papinius quoq, Statius libro Thebaidos primo Olympiadas Graecorum luſtra nominauit.

Non aliter quam Piſaeo ſua luſtra Tonanti
Cum redeunt, crudiſq. virum ſudoribus ardet
Puluis.
Et Siluarum lib. ſecundo de Surrentino Pollij.
Huc me poſt patrij laetum quinquennia luſtri,
Cum ſtudio iam pigra quies, canuſq. ſederet
Puluis ad Ambracias conuerſa gymnade frondes,
Trans gentile fretum placidi facundia Polli
Detulit.

Idq. ea ratione factum puto, quod & Olympias quinquennis appellatur a Graecis pariter, & Latinis ſcriptoribus, quod quincto quoq. anno celebrarentur ludi Olympiaci. Seneca in Hercule furente.

Quantus Elaeum coit ad Tonantem,
Quincta cum ſacrum reuocauit aeſtas

nec laboro vtrum plenis, & exactis quinq. annis id fieret, quemadmodum de luſtro Romano Capitolini lapides teſtantur, an ineunte quincto. De intercalari, ſeu biſextili anno Ouidius locutus eſt, vt Plinius luſtri vocabulum vſurpauit, lib. 2. cap. 47. extremo cum loqueretur de eodem fere annorum ſpatio, *omniũ quidẽ, inquit, (ſi libeat obſeruare minimos ambitus) redire eaſdẽ vices quadriennio exacto Eudoxus putat non ventorum modo, verum & aliquarum tempeſtatum magna ex parte, & eſt principium luſtri eius ſemper intercalari anno caniculae ortu.* Vides a Plinio appellari luſtrum certum annorum numerum, quemadmodum fere ab Ouidio ſcriptum eſt de annorum interuallo,

M.CORNELIVS.M.F.M.N. CETHEGVS — P.SEMPRONIVS.C.F.C.N. TVDITANVS
CENS.M.LIVIVS.M.F.M.N. SALINATOR — C.CLAVDIVS.TI.F.TI.N.NERO.L.F.XXXXV

notas illas F. L. XXXXV. interpretare lustrum fecerunt quadragesimum quinctum

Annus primus sequentis lustri XLVI. quo anno Consules fuerunt.

1. CN. SERVILIVS. CN.F:CN.N. CAEPIO — C.SERVILIVS.C.F.P. NEPOS
P.SVLPICIVS.SER.F.P.N.GALBA.MAXIMVS — DICT. COMIT.HABEND.CAVSSA
M.SERVILIVS.C.F.P.N.PVLEX.GEMINVS — MAG. EQ.
2. TI.CLAVDIVS.P.F.TI.N. NERO — M.SERVILIVS. C.F.P.N.PVLEX.GEMINVS
C.SERVILIVS.C.F.P. NEPOS — DICT COMIT.HABEND.CAVSSA
- - - - - Q. F. Q. N. — MAG. EQ.
3. CN.CORNELIVS.L.N. LENTVLVS — P.AL - - -

BELLVM PHILIPPICVM.

4. P.SVLPICIVS.SER.F.P.N.GALBA.MAXIM.II. — C.AVRELIVS.C.F.C.N. COTTA
5. L.CORNELIVS.L.F.L.N. LENTVLVS — P.VILLIVS.TI.F.TI.N. TAPPVLVS
CENS.P.CORNELIVS.P.F.L.N.SCIPIO.AFRICAN — P.ALLIVS.Q.F.P.N. PAITVS. L. F.XXXXVI
6. T.QVINCTIVS.T.F.L.N. FLAMININVS — SEX.ALLIVS.Q.F.P.N. PAITVS.CATV
7. C.CORNELIVS.L.F.M.N.CETHEGVS — Q. MINVCIVS.C.F.C.N. RVFVS
8. L.FVRIVS.SP.F.SP.N. PVRPVREO — M.CLAVDIVS.M.F.M.N. MARCELLV
9. M.PORCIVS.M.F. CATO — L.VALERIVS.P.F.L.N. FLACCV
10. P.CORNELIVS.P.F.L.N...IO.AFRICAN.II. — TI.SEMPRONIVS.TI.F.C.N. LONGV
CENS. SEX. AILIVS.PAITVS.CATVS. C.CORNELIVS.L.F.M.N.CETHEGVS.L.F.XXXXVI
11. L.CORNELIVS.L.F. MERVLA — Q.MINVCIVS.Q.F.L.N. THERMV
12. L.QVINCTIVS.T.F.L.--- FLAMININ. — CN.DOMITIVS.L.F.L.N. AHENOBARBV

- - - - - LLVM. ANTIOCHINVM

13. M.ACILIVS.C.F.L.N. GLABRIO — P.CORNELIVS.GN.F.L.N.SCIPIO. NASICA
14. L.CORNELIVS.P.F.L.N.S.,PIO.QVI.POSTEA ASIATICVS. APPELLATVS. EST — C.LAELIVS.C.F.C. NEPO
15. CN.MANLIVS.CN.F.L.N. VVLSO — M.FVLVIVS.M.F.SER.N. NOBILIO

CENS.T.QVINCTIVS.T.F.L.N.FLAMIN. M.CLAVDIVS.M.F.M.N.MARCELLVS.L.F.XXXXVIII.

16. C.LIVIVS.M.F.M.N. SALINATOR M.VALERIVS.M.F.M.N. MESSALLA

17. M.AIMILIVS.M.F.M.N. LEPIDVS C.FLAMINIVS.C.F.C. NEPOS

18. SP.POSTVMIVS.L.F.A.N. ALBINVS Q.MARCIVS.L.F.Q.N. PHILIPPVS

19. AP.CLAVDIVS.AP.F.P.N. PVLCHER M.SEMPRONIVS.M.F.M.N. TVDITANVS

20. P.CLAVDIVS.AP.F.P.N. PVLCHER L.PORCIVS.L.F.M.N. LICINVS

CENS.L.VALERIVS.P.F,L.N. FLACCVS M.PORCIVS.M.F.CATO. L.F.XXXXVIIII

21. Q.FABIVS.Q.F.Q.N. LABEO M.CLAVDIVS.M.F.M.N. MARCELLVS

22. L.AIMILIVS.L.F.M.N. PAVLLVS CN.BAEBIVS.Q.F.CN.N. TAMPHILVS

23. P.CORNELIVS.L.F.P.N. CETHEGVS M.BAEBIVS.Q.F.CN.N. TAMPHILVS

24. A.POSTVMIVS.A.F.A.N. ALBINVS C.CALPVRNIVS.C.F.C.N.PISO.IN.M.M.E.IN.E.L.F.E.

Q.FVLVIVS.CN.F.M.N. FLACCVS

25. L.MANLIVS.L.F.L.N.ACIDINVS.FVLVIAN Q.FVLVIVS.Q.F.Q.N. FLACCVS

HEI.FRATRES.GERMANI.FVERVNT

CENS.M.AIMILIVS.M.F.M.N.LEPIDVS M.FVLVIVS.M.F.SER.N.NOBILIOR.LVSTR.F.L.

26. - - - - VNIVS.M.F.L.N. BRVTVS A.MANLIVS.CN.F.L.N. VVLSO

27. - - - - VDIVS.AP.F.P.N. PVLCHER TI.SEMPRONIVS.P.F.TI.N. GRACCHVS

28. - - - - NELIVS.L.F.L.N. SCIPIO.HISPALLVS Q.PETILLIVS.C.F.Q.N.SPVRINVS.IN.MAG.

IN.MAG.MORTVVS.EST.IN.EIVS.L.F.E, POSTEA.QVAM.SIBI.CONLEG.SVBROG.OCCIS.E.

C.VALERIVS.M.F.P.N. LAEVINVS

29. P.MVCIVS.Q.F.P.N. SCAEVVLA M.AIMILIVS.M,F.M.N. LEPIDVS.II.

30. SP.POSTVMIVS A.F.A.N.ALBIN.PAVLLVL. Q.MVCIVS.Q.F.P.N. SCAEVVLA

CENS.Q.FVLVIVS.Q.F.M.N. FLACCVS A.POSTVMIVS.A.F.A.N.ALBINVS.LVSTR.F.LI.

31. L.POSTVMIVS.A.F.A.N. ALBINVS M.POPILLIVS.P.F.P.N. LAENAS

32. C.POPILLIVS.P.F.P.N. LAENAS P.AILIVS.P.F.P.N. LIGVS

AMBO.PRIMI.DE.PLEBE

BELLVM.PERSICVM

33. P.LICINIVS.C.F.P.N. CRASSVS C.CASSIVS.C.F.C.N. LONGINVS

34. A.HOSTILIVS.L.F.A.N. MANCINVS A.ATILIVS.C.F.C.N. SERRANVS

35. Q.MARCIVS.L.F.Q.N. PHILIPPVS.II. CN.SERVILIVS.CN.F.CN.N. CAEPIO
CENS.C.CLAVDIVS.AP.F.P.N.PVLCHER TI.SEMPRONIVS.P.F.TI.N.GRACCHVS.L.F.LII.
36. L.AIMILIVS.L.F.M.N. PAVLLVS.II. C.LICINIVS.C.F.P.N. CRASSVS
37. Q.ALLIVS.P.F.Q.N. PAETVS M.IVNIVS.M.F.M.N. PENNVS
35. C.SVLPICIVS.C.F.C.N. GALVS M.CLAVDIVS.M.F.M.N. MARCELLVS
39. T.MANLIVS.A.F.T.N. TORQVATVS CN.OCTAVIVS.CN.F.CN.N.
40. A.MANLIVS.A.F.T.N. TORQVATVS Q.CASSIVS L.F.Q.N.LONGINVS.IN.M.M.E.
CENS.L.AIMILIVS.L.F.M.N.PAVLLVS.Q. MARCIVS.L.F.Q.N.PHILIPPVS.L.F.LIII.
41. TI.SEMPRONIVS.P.F.TI.N.GRACCHVS.II. M.IVVENTIVS.T.F.T.N. THALNA
42. P.CORNELIVS.P.F.CN.N.SCIPIO.NASICA. C.MARCIVS.C.F.Q.N. FIGVLVS

VITIO. FACTI. ABDICARVNT. IN. EOR. LOC. FACTI. SVNT.

P.CORNELIVS.L.F.L.N. LENTVLVS CN.DOMITIVS.CN.F.L.N.AHENOBARBVS
43. M.VALERIVS.M.F.M.N. MESSALLA C.FANNIVS.C.F.C.N. STRABO
44. L.ANICIVS.L.F.L.N. GALLVS. M.CORNELIVS.C.F.C.N. CETHEGVS
45. CN.CORNELIVS.CN.F.CN.N DOLABELL M.FVLVIVS.M.F.M.N. NOBILIOR
CENS.P.CORNELIVS P.F.CN.N.SCIPIO.NASICA M.POPILLIVS.P.F.P.N. LAENAS.L.F.LIIII.
46. M.AIMILIVS.M.F.M.N. LEPIDVS C.POPILLIVS.P.F.P.N. LAENAS II.
47. SEX.IVLIVS.SEX.F.L.N. CAESAR L.AVRELIVS.L.F.L.N. ORESTES
48. L.CORNELIVS.CN.F.L.N.LENTVLVS.LVPVS C.MARCIVS.C.F.Q.N. FIGVLVS II.
49. P.CORNELIVS.P.F.CN.N. SCIPIO.NASIC.II M.CLAVDIVS.M.F.M.N. MARCELL.II.
50. Q.OPIMIVS.Q.F.Q. NEPOS L.POSTVMIVS.SP.F.L.N.ALBIN.IN.M.M.E.IN.E.L.F.E.
M.ACILIVS.M.F.C.N. GLABRIO
CENS.M.VALERIVS.M.F.M.N.MESSALLA C.CASSIVS.C.F.C.N.LONGINVS.LVSTR.F.LV.


Errata			Correcta
In altera pagina Bpistolae			
	ver.9.	continentia	continentiae
	10.	innocentiae & santimo-nia.	Innocentia & sanctimonia
pag.	ver.		
4.	3.	ASINIA	ASINIAE
5.	14.	S.Caurus	Scaurus
6.	9.	quid a haec	quid ad haec
9.	29.	fæciam	faciam.
14.	26.	fatalem	fatale
15.	29.	Hoc videtur	Hoc non videtur
16.	20.	QVuos.	Quos.
	22.	verborun	verborum
	23.	adoloscentibus	adolescentibus
	24.	legatur	legantur
	31.	eleggia.	elegia
	35.	Iuliae	Iulia
18.	21.	sumpsert	sumpserit
	22.	Pompertius	Propertius
	31.	quae erat	quae erant
	35.	iocatuus	iocatus
	39.	viderlt	viderit
24.	31.	quod factam	quod factum
25.	23.	prouincias. admisistira-bant quoq.	prouincias administrabant, quod
27.	3.	exstimer	Existimer
29.	38.	Mon mutata	Non mutata
30.	24.	apo phoretis	Apophoretis
	26.	me dico	medico
	37.	inigratus	ingratus.
31.	37.	nomitatim	nominatim
34.	7.	propedum	propemodum

Imprimatur si placet R. P. Magistro sacri Palatij.

Berling. Gypsius Vicesger.

Impr. Fr. Paulus de Francis de Neap. Mag. & socius Reuerendissimi P. Magist. Sacr. Pal. Apost.

ROMAE, Apud Guillelmum Facciottum. M.DCV.






IHS